

omnibusque supra A. D. Maxime revere amixam

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA,
DE

ADSCITIS AB AQUILONE

DOMESTICIS

IMPERATORUM

ROMANORUM

ARMIGERIS,

QUAM

Ex consensu ampliss. Facult. Philos. Aboënsis,

MODERANTE

VIRO CL.

DN. ALGOTHO A.

SCARIN,

HISTOR. & POLIT. PROF. nec non
ACAD. BIBLIOTHEC.

Ad diem XI. Decemb. MDCCLVI.

Publico honorum examini modeste submittit

SIGFRIDUS PORTHAN,

ABOËNSIS.

ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland, JACOB MERCKELL.

Maxime reverendo atque amplissimo

VIRO,

**D^N. CAROLO FRID.
MENNANDER,**

S. S. Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI celeberrimo, utriusque consistorii ASSESSORI gravissimo, PASTORI in Råndamåsi meritissimo, Reg. Soc. Scient. Holm. MEMBRO dignissimo,

Patrono atque Promotori, avunculi loco, perpetim venerando.

CUm arctè adeo anxieque humano generi commendatum sit grati animi testandi officium, ut qui idem non rite præstiterit, Socialitatis sanctissimum munus, bonorum omnium, etjam perditissimorum hominum suffragio, defugisse sit censendus: fieri nequit, quin ad prætereuntis avi memoriam oculos etjam leviter reflectens ego, quantum TIBI, VIR max. reverende, obligatus sim, non difficulter animadvertam. Neque unicum & solitarium est, quod in me contulisti beneficium, sed plurima eademque cogitatione majora, a puero, ductu auspicioque Tuo, in me cumulata sunt. Vellem grati animi signis, quibus par est, remunerari possem affectus & favoris in me Tui abundantiam; sed quocunque sese moverint cogitatio-

tationes meæ, quomodo sanctissimum pietatis munus recte
tueri queam, nusquam invenio. Fateor bene merendi GE-
NIUM TUUM, quo suffragante, non meæ solum, sed & alio-
rum jacenti spei obviam venire voluisti, optime meritum
esse, qui seculi memoriæ, literarum beneficio, prorogetur;
sed qui noverim titulos & insignia laudum a laudatis uni-
ce conferri debere, certe non mea, quamvis gratissima
predicatione extendi posse: illam tenendi animum TUUM
devinctum mihi, rationem mitto, & rudimentum studiorum
hoc ipsum, idemque cultus & observantiæ hostimentum TIBI
exhibeo. Tu, qua assoles, benignitate obsidem & spon-
soriam tabellam hancce recipe, & ex illa cognosce diligen-
tiam, quam in pertexenda tela ista adhibuerim, quam te-
xendam, ante annum hinc desectens, industriæ meæ credi-
disti. TUA vero auctoritate, si quid patrocini opellæ
polliceri sustineam: ad itineris, quod etjamnum restat eme-
tiendum, securitatem, & nascituram ex illa futuri temporis
felicitatem, voto expeti majus nihil, nil a me desiderari
posse amplius, existimabo. DEUS augeat TE felicitate
perpetua, in gentis nostræ decus & tutamen, omniumque,
qui in patriæ sinum TEMET quantocius restitutum optant,
tacito sub pectore, oblectamentum!

Amplissimi Nominis Tui

Cultor humillimus,

SIGERIDUS PORTHAN,

KONGL. MAJ:ts

Tro-Tjenare och Håradshöfdinge

Öfwer

Pikie och Halicko Hårader,

Ädel och högachtad

HERR P E T T E R
J U S L E E N,

Min Högtährade K. Morbroder.

DÅ jag nu för det Almånna framlägger mitt första snille-
prof, skulle jag icke kunna annat, än giöra mig skyldig
til den första otacksfamhet, som kan uptänkas, der jag
med stillatigande förbiginge de wälgärningar jag af
min högtährade K. Morbroder länge niutit, och än dageligen
til godo åtniuter. Jag wördar i dem alla de känbaraste spår
af en FÖRSYN, som wisar sig så snart wid ringa kojor, som
de högtbesuttnas härligheter; den som från fiernare ställen är-
fätter, hwad Dets wiset funnit för godt, at på ett närmare
sparsammare utdela. Då jag i en ålder, som hade de sinas
hielp hälft af nöden, så godt som förlorade min K. Fader,
hwilken på min födslo-ort war nästan den endaste, af den
jag kunnat wänta mig handledning och underwisning i de sty-
cken, som äro egenteliga grunden til en menniskio-
lesnad, blef jag uptagen i min högtährade K. Morbroders hus.
Där har jag snart i åtta åhr haft at fagna mig af barna-wård och
omwårdnad. Med en egen Son, har jag haft lika förmåner,
samt utan omsorg tilbragt mina menlösa åhr, tils tiden små-
ningom

ningom fördt mig til den äldren och estertanken, at jag begynt besinna, hwad för store förmåner den Aldrahögste mig i min högtährade K. *Morbroders* skiöte förwarat. Så har mitt öde warit i motgång och olycka, utan at ännu känna dessa ting, mer än til deras namn, och efter andras beskrifningar. Jag röner med förundran häruti den högsta FÖRSYNENS besynnerliga wägar. Jag finner ock, at så stora wälgärningar, som mig af min högtährade K. *Morbroder* bewiste äro, fordra en större belöning än mine krafter mächta åftadkomma; mindre at de på ett stämplat linne stå til at uttrycka, eller aftiena. Dock, som min förmodan aldrig är, at hwarken nu eller i framtiden kunna tilräckeligen betala min skuld, utan allenast lägga min högtährade K. *Morbroder* under ögonen förfstlingen af des så långwarige som kostsamme plantering: ty hoppas jag, och beder ödmuikast, det wärdes min högtährade K. *Morbroder* gunstigt anse min oförmögenhet. Jag skal däremot aldrig aflåta, at til den HÖGSTE, alla wälgärningars rika belönare, både bittida och sent, upfända trågne och trogne förböner, det wille han, för all mig bewist öm- och huldhet, lysa sin fred öfwer min högtährade K. *Morbroders* hydda; utur sit rika förrådshus upfylla, hwad af *Edert* til mitt uprätthållande upgådt, och ändteligen hela wärnaden med fundhet, fällhet och lycka uppehålla.

Jag framhårdar med diupaste wördnad intil mitt yttersta,

Min Högtährade K. *Morbroders*


ödmuikaste tienare,

SIGFRED PORTHAN.

SYNOPSIS DICENDORUM.

- §. I. **G**ermania nominis sui ambitu *Scandinaviam* quoque complectitur.
- §. II. *E. Germania*, quæ hodie est, utrum *Suetbi*, an vero ex hisce *Germani* sunt arcessendi?
- §. III. Argumenta eorum, qui *Teutones* indigenas esse censent, percenset.
- §. IV. *Russicæ*, quæ hodie est, discrepantia linguæ a *Svethica*, cognationi pristinae utriusque gentis nil derogat.
- §. V. Migrationum in australes orbis partes, septentrionalium quam finitimæ gentis, speciosior caussa.
- §. VI. Migrantium examina nostratum, alia publico, alia privato nomine facta.
- §. VII. Ex cæli cardine, qui septem Trionibus subjacet, *Suevi* & *Vandali* primum, mox accolæ *Baltici* cis- & transmarini in distitas orbis partes sese infudere.
- §. VIII. *Domeslici* nomenclationem excutit.
- §. IX. Usque a CONSTANTINI MAGNI ævo, *Græci* Imperatores *Gothorum* militia usi sunt.
- §. X. *Gothorum* militiam prætorianam, ante & post CONSTANTINUM, *Romani* Imperatores arcessivere.
- §. XI. XII. XIII. XIV. Ritus sacrorum homogenei, item stelarum, nec non prisca & recentioris ævi *historicorum*, summa consensio, quæ pro *Gothis* dicenda erant, conficiunt.
- §. XV. Ad Christianismum in *imperium* introducendum, utrum signum sustulisse *Gothi* sunt censendi?
- §. XVI. Non ex *Scandia* solum, sed & aliis orbis partibus, aulæ apparitores *Romani* Imperatores arcessivere, & eorum exemplo, rerumpublicarum finitimarum principes.
- §. XVII. Militia peregrina, an vero indigenarum ad aulæ & Imperii securitatem plus præstat?





Q. B. V.

THESIS. I.



Requentissimam apud disertissimos CHRISTI nati Scriptores Romanos GERMANIÆ nomenclationem occurrere, notissimo notius est, pomœriaque sua nomen illud priscis, quam nostris temporibus latius extendisse, perplexè amplius neque iudicat quisquam. Germaniæ enim, quam augusto cognomine adjecto *magnam* PTOLOMÆUS appellat, limites, licet obscurè aliquando definiantur ab auctoribus: conciliatis tamen singulorum effatis, fuisseprehenduntur amnes: Rhenus, Danubius Vistulaque; sed ita, ut statata spatia egrediantur identidem cancelli isti, & quæ diverso littori cohærent, terras ambitu suo comprehendant. Ultra enim Vistulam Varini & Bastarnæ; ultra Rhenum Treveri, Vangiones, Batavi coluere. A Septentrione

A

vero

verò Oceano ejusque insulis, quas inter eminet *SCANDINAVIA*, limites illius terminari, licet non addubitet facile quisquam: interim ne leviter & minus cogitatè in illam sententiam nos propendere quis existimet, ex illo antiquitatis promptuario, quæ pro nobis stant, paucis idque breviter allegare non pigebit. Inter illos, qui jam olim dictis fidem fecere, duumviris priscae virtutis & veracitatis *POMPONIO MELÆ* atque *PLINIO* primæ debentur partes, quorum *ille* in Sinu Codano Cimbros Teutonisque habitare adstruit, *hic* Hermiones (*Närmänner*) Germaniæ ultimos esse instat: (a) ne de cæteris quid dicam, qui Scandiam insulam Germanicam esse, perpetua testatione agnoscunt; quos inter familiam ducit ipse demum historiæ Germanicæ conditor, sicut antiquissimus, ita quoque gravissimus, qui in designatione accuratissima morum Germaniæ populorum, de gentis illius finibus, aptatis ævo suo sermonibus, in hunc modum infit: *Germania omnis à Gallis Rhatisque & Pannoniis Rheno Danubioque fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus (b) ambit, latos Sinus ac immensa insularum spatia comprehendens, cognitis nuper quibusdam gentibus ac regibus,*
quos

(a) Plinius Hist. Nat. Lib. IV. c. 14.

(b) Oceanus idem ejusque insulæ & sinus *Germanicum mare* modo, ab aliis autem *Scythicum mare*, itemque *Codanus & Venedicus Sinus* appellatur. Scandinaviam vero eundem Oceani ambitum lambere, Plinium ipsum testari modo audivimus.

quos bellum aperuit. Interjectis nonnullis Sviones & Sitones, per singula nomina, Germanis in univ-
 sum, & quidem præcipue Svevis idem annume-
 rat. (c) Potentia & frequentia hominum reliquos
 antecellere populos, Germanicarumque nationum
 bellicosissimos esse Svevos, JULIUS Cæsar, armorum
 peritissimus ipse memoriæ prodidit. (d) Tam cla-
 ris ab antiquo verbis & testimoniis adversari ho-
 die saniorum plures destitere: Kirckmajerus, Lentu-
 lus,

A 2

(c) Tacit. German. cap. 44, 45. fin.

(d) De Svevis narrat CÆSAR, eosdem centumpagis con-
 tineri, in libertate vires alere, magnitudine corporis cate-
 ris præstare, in locis frigidissimis magna corporis parte a-
 pertos, non amictu, præter pelles, vestiri aliquo. Illos non
 alio sub cardine cœli, quam boreali hoc ipso editos esse,
 non ambiget, quisquis cogitaverit heic loci in centurias,
 colonos olim & hodie dividi; Sub arcto homines, rei fa-
 miliaris inopia, pariterque frigore intensissimo pressos fera-
 rum hodie quoque pellibus uti solere. Neque alio in pace
 ornato & in armis præsidio, quam hoc ipso, sequioribus
 seculis inclaruisse nostrates, *Adamus* testatur, cum milites
 suo quoque ævo fortissimos gentem nostram eduxisse refert,
 qui totum circumeundo mundum, penuriam suæ regionis ta-
 li modo sustinerent. Erit de septentrionalium habitu isto
 thesi XIII. luculentior differendi occasio. Loquitur de *Fen-
 norum* virtute militari non aliter Scaliger, Martinus, &
 demum patrum memoria Kirckmajerus, cum de iisdem in
 bello tricennali Germanico nudis & nudipedibus, neque ni-
 si sagulo leviter armatis prædicant, quod sagittandi peritia
 insignes, versus hostes audacissimos, & erga hospites inno-
 centes sese ubique præbuerint.

lus, Dithmarus, Conringius, Sheringhamus, Schurtz-
 fleischius, & quod in prodigium quis jure meri-
 tissimo trahere potest, *Cluverius* ipse quoque, li-
 cet in cæteris, Gothorum genti indigenatus sui in-
 cunabula derogare non addubitet, conjectationibus
 a vero tantum dissidentibus, quantum in *facti re*
 a veterum scriptorum auctoritate longius digreditur.
 Nempe postquam pensitatis ultro citroque ra-
 tionibus, perspiceret idem non Albim modo, sed
 & *Guthalum* Plinii & Solini, Gothorum *Albim*,
 inter Germaniæ fluvios relatum; a Tacito accepis-
 set gloriam rei maritimæ antiquitus cultæ de cæ-
 teris Germaniæ populis, perinde atque Sveonibus (*e*)
 prædicari non posse; de primis Cæsaribus legisset
 etjam, quod aquilonaria hæcce invadere, quamvis
 irritato conatu, aggressi fuissent; (*f*) vidisset, in il-
 la sua heroum genetrice nullas, sicut in Sveonia
 civitates, nullas ante Sec. V. urbes instauratas fuisse;
 (*g*) didicisset in dlytam flavedine capillorum Sve-
 vicam gentem extremo Septentrione a Lucano pri-
 mum,

(*e*) Tacit. Germ. cap. 44.

(*f*) Plinius Hist. Nat. II, 67. adde sis dissert. Upsaliæ
 de Saturnalibus Scytho-Romanis habitam. Saturnalium vero
 religionem, occasione modo memorata, utrum CÆSAR Scandiæ
 invexerit, an vero ab hyperboreis sacra sua Romani addi-
 dicerint, inquirere nostrum nunc non est. Stat pro priori
 sententia J. M. Gothus H. Svec. IV. 13. Alteram Rudbec-
 kius intert; illorum vero quis enucleate magis rem suam e-
 gerit, patridomania non suspectus judex decernet.

(*g*) Conringius de Urb. Germ. p. m. 81.

mum, mox a Tacito collocari; (b) ex Zozimo, Sidonio Apollinari aliisque pro certo comperisset, celebres extremi orbis incolatu Burgundiones, per Germaniam, quæ hodie est, in ulteriora prorupisse, ibi non sine cæde & sanguine regna fundasse, & demum ad fumenda pro se arma Allemannos adegisse: (i) qui quæso! gerere sese aliter potuit, quam *Germanorum* nomine gentem ab arcto censere dignissimam, quæ sub primis Cæsaribus in Asia diu mervisset, & Martis sui, puta Getici sub auspicio, in illas majorum suorum sedes remeare primum, & mox illatas sibi a *Quirino Numine* injurias, intra palatinæ urbis illius mœnia persequi, suæ non inglorium militiæ existimavisset. Pugnam vero litterariam late patentem hancce, versus gloriæ alienæ occursantes cum majore inquirendi sagacitate & dijudicandi felicitate vix quisquam disceptaverit, quam regni historiographus, *Jacobus Wilde*, in sua, ad hist. Svecanam Pufendorffii introductione proœmiali, quousque controversiam illam deduxerit, novisse certe non pigebit. (k) Non ne-

(b) Tacit. Germ. c. 45.

(i) Boxborn. Hist. Universal. p. 227.

(k) Urget laude nostra major b. m. vir ille, *Othinum*, ad paludem Mæotida habitantium Asarum regem fuisse, circiter centum & triginta ante Christum annis, ex Asia in septentrionales occidentalesque Europæ regiones adventasse, varii generis artibus & fraudibus incolas circumvenisse, suæ divinitatis opinionem iisdem obruisse, Germaniæque magnæ sacrum imperium quaqua versum instaurasse; neque so-

gamus foecundiora ad meridiem caeli folique loca majores nostros raptò vivere advetos, ad vertendum solum adducere potuisse: verum post introductam heic loci, sicut alibi, inimicitiarum hæreditariarum religionem, (1) quis dubitaverit prurimum ulciscendi injurias majoribus suis factas, in censum venire debere caussarum illarum, quæ eosdem sedibus suis exegere, & ad non ante abstinendum a vexandis Romanis adduxere, quam locis, quibus illi confedissent, regna sua instaurassent.

THES.

lum religionis suæ sequacibus, ardoris in iisdem majoris efficiendi caussa, nomen Germanorum, quod fortem & bellipotentem significat, indidisse; verum adversus Romanos quoque suffecturam bello militiam suam eduxisse ait. Romanos dico, quorum gliscentis potestatis metus patria germanâ & in illa constituto regni culmine eundem ante modo extrusisset. Quam enim fabulam hodie ludunt Europæarum gentium principes, ut cum eorum quis stateram egredi velle videatur, adversus illum metu partim, partim invidia vires suas mox ceteri succingant; eandem in suum usum veteres traduxisse etiam invenimus, ut quoties eorum alii modum non imponere velle viderentur fortunæ suæ, a cæteris, qui minus valerent, ad coitiones & foedera primum, mox bella quoque transitio facta fuerit. Quidquid sit, dissidet non longe hypothesis illa de Asianorum, boream versus, bello durante *Cimbrico*, facta immigratione, a *Taciti* de Germanici nominis ortu sententia, quod fuerit illud suo ævo recens, & nuper auditum, a victore primum ob metum inventum, sed quod aucto in majus sociorum hominum coetu, in gentis inde nomen evaluerit.

(1) Amicitia hæreditatem accepisse a parentibus suis majores nostros constat. De inimicitiiis hæreditariis non

THESIS. II.

A Teutonibus *Svetibi* ne, an vero ex *hisce* Teutones arcessendi sint, quæstio ad verisimilitudinem, non ad liquidum adhuc perducta est, cum præter Scythicam harum nationum originem, moliter & parce, imo obscuritate magna rerum & verborum, de gentium originibus tradiderint antiquissimorum temporum historici. (a) Scytharum nomen in Sarmatas et Germanos transivisse *Plinius* adstruit, (b) cujus effato suam inde sententiam accommodat *Nicephorus Gregoras*, Sheringhamo cita-

minus crebra in annalibus mentio obvenit. Annibalem patris sui obtestationibus eo perductum fuisse testatur *Nepos*, ut interire, quam Romanos non experiri maluerit. Inimicitias ex graviore injuria genti familiæ illatas, adeo neque arctoa Martis soboles vindicare intermisit, ut ad parentandum bellicæ suorum virtuti sanguine noxiorum, legibus quoque, quorum intererat, devincti essent. *Werelius* & *Wachterum*, in suo quemque Glossario confer; alterum in *Wigarf*, alterum in *Einwig*, & *Frändwig*.

(a) Hac præsentî memoriâ populorum natalia, sine ulla loci & temporis confusione recensere, eorumque de regione in regiones, a seculo in seculum profectioes describere quisquis institueret, nã ille astuosum & infinitum, quamvis in musæo iter ingrederetur. Occupavere eruditissimi viri operam eandem multi: *Bochartus*, *Merula*, *Hornius*, & qui viam instituti provehendi illius ante aperuerat *Ph. Melanchthon*: verum perperam ab iis multa notata, saltem non ad umbilicum deducta, qui illud iter postea ingressi sunt, non pauci observavere.

(b) Hist. N: IV. 12.

citatus: (c) Exinde autem, quod Scythicus origine uterque fuerit populus, unum ex altero ortum esse, pro certo & comperto concludere ægre quisquam potest. Poterat namque una Scytharum gens, diversos ex se *Teutonum* & *Suecorum* populos effudisse. Poterat aliqua ex Scythis egressa colonia per Teutonium in Scandiam pertendere. adsunt in promptu rationes etiam, cur restaurati orbis Nomadum turba, amnium & paludum fecunda commoditatem, arctoi orbis cardinem huncce recta viâ subierit, aut certe subire maluerit. (d) Cum vero veniat heic gemina eademque anceps utrinque quæstio discutienda, *utrum Teotiscæ gentis fratres simus censendi*, an vero *alterius satricem alteram nationem habere debeamus?* quæ in utramque partem disceptari solent, brevibus exponere a proposito non alienum erit. Sunt quibus placet arctior, eademque *germana* utriusque gentis fraternitas, quam præter religionem, linguam ipsam, mores & vitæ instituta vetustis Suethis & Teotiscis eadem prope, innuere ajunt. Sunt item, qui hujusce in societate humana propioris colligationis causam in Othino, institutoque ab eodem magnæ Germaniæ imperio sacro (cujus in nota k. modo mentionum fecimus) certam magis, confesamque semet invenisse putant. Quænam vero curiosarum observationum harum probabilior, quænam a vero longius digredi sit censenda, agite, dispi-

(c) De orig. Angl. XV. 360.

(d) Tacit. Germ. c. 1, & 2.

dispiciamus. Pendet animus, & abeamne, an maneam, in incerto hæret. Interim cum plurium ingenia magnorum virorum de immemorialis præscriptionis sententia altera bene existimare viderim, quibus itineribus illi perrexerint ad fidem dictis faciendam, summatim exponere non pigebit. Stat ab illa opinione, eidemque fidem facit *Freculphus*, a memoria nostra remotus Scriptor, qui qua magna verosimilitudine seniores historici Scandiam appellavere *vaginantam*: eadem ille quoque Francos ceterasque Teotifcas nationes inde erupisse fidenter asserit. (e) Germaniæ populum a Gothis originem traxisse, & eorum in univèrsum natale solum fuisse Escandinaviam, Urspergensis Chronici auctor agnoscit. Quibus eruendæ antiquitatis ingens studium, illos non aliunde, quam ex Scanzia arcessere Gothorum originem, scriptores Hispanici, in ceteris *Mariana* non obscure agnoscit. Getarum ante Germanos celeberrimum in orbe nomen fuisse, nemo dubitat. A Getis oriundos esse Gothos, horumque coloniam, quæ, quo Othini nomen orbe arctoo innouit, eodem tempore fere, *Gauto* sub duce suo, B famam

(e) Francos ab ultimis Barbariæ littoribus avulsos esse, in panegyrico *Eumenius* prodidit; Ex Scanzia prodiisse, multis probabile visum fuisse, quem in thesi nominavimus seculi IX. scriptor insuper agnoscit; inde inprimis, quod in Scanzia regio sit, quæ Francia nuncupetur. Intra Bahusianæ v. ditionis terminos in nomarchia *Gräfnehrad* antiquum nomen hodieque retineri, dissertationis de Francorum originibus auctor celeberrimus pulchre observat.

famam ingredi cœpit, non aliud quam Scandinaviam, genitale solum agnoscere, testimoniis & rationibus, quas elidere adversaria nulla potest, regni A - Ep. D. D. BENZELIUS evictum dedit. (f) Et ne quid diffimulem, de originaria sede Gothorum alia res certe magis aperte loqui non potest, quam illa, quæ in sinu patriæ obtinet divisio Gothorum in Ostrogothiam & Westrogthiam. Illam quisquis non primaevam sed nuperam, non domi natam, sed peregre inventam urget nomenclationem, næ ille recentioris suæ immigrationis testes idoneos, nominisque heic loci instaurati primordia necesse est, accurate designet. Romani eloquii gnaris *austrum* non est peregrinum: verum non cardinem orientis Phœbi, sed arctico polo contrariam regionem signare, omnis agnoscit, cui non nullum meridie diem diluxisse visum fuerit. Gothi olim & hodie *Oriente*, hoc est, emergentis solis tractum indigitare, nostrum nemini obscurum est; cumque valoris *illius* exemplum in foro Romano nusquam reperitur: ex identitate lingvæ, ad gentis Gothicæ & Mœso - Gothicæ non diversam sed eandem originem, quid legitime magis inferri potest? Svevorum, Gothorum, eorundemque *majorum* & *minorum* in exteris terris denominationem & divisionem non casu evenisse; non in

(f) Colleg. histor. M. Scr. Lib. II. 8. Ante Othinum in Scandia Gothicas effloruisse nationes nobiliss. Dn. C. Consil. v. *Dalin* quoque urget. Gautum verò Othini filium fuisse in pragm. Sv. historia sua nobiliss. *Wilde* quoque perhibet.

in Pannoniis modo natam, sed ex Scandia deportatam esse, vocatæ in iudicium vetustæ Leges recte atque ordine sanxere, cum Gothorum nomen, nisi in regno Svethiæ fixum & stabile nusquam reperiri, indeque in alias terras relatum esse, decernunt. Quod si ab illo antiquitatis tribunali ad recentiora reflectere voluerimus, dictis fidem facere quoque novos Scriptores, non longe apparebit. Ne vero subornatis testibus, iisdemque nostri cupidis solum uti velle videamur, *Glossarii Germanici auctorem* in alia magis euntem, quam pro Scandinavia sententiam dicentem audire juvabit. *Ostr* & *Vestr* vocabula *plagam orientalem & Occidentalem* denotare ait; & mox excussis variis variarum gentium etymologiis, antiquissimarum notionum vestigia haud obscura se in idiomate Gothico invenisse; ex iisdem Francorum & Septentrionalium *composita* multa descendere; imo sicut a *Westr* occiduum omne dicitur, ita *Wesos*, *Wifos*, id est occiduos Gothos suam inde quoque appellationem concepisse, non diffitetur.

THESIS. III.

Multi sint licet, qui pulchre adseverent, inter Christianos, gentem vix dari aliquam, quæ quam Sveones altiora certioraque antiquitatis documenta habeat; imo post extinctam gigantum sobolem Gothos fuisse, qui hodiernos trans mare Germanos primum fundarint: prostant in proximo haud pauci tamen, qui non dicam recentiori-

bus, sed veteribus perspicaciores sibi visi, plumbea & vix casta nuce digna censerunt, quæ olim & hodie in rem nostram convehuntur testimonia. Anfractus sese majores obtulisse ajunt per Scandiam in Teutonium, quam per Teutonium in Scandiam profecturis Scythis. Objiciunt verosimile minus videri, quod frigoris impatiens turba aboriginum, proclivitate majori frontem obverterit plagæ gelu rigenti, quam, quæ hodie est, Teutonum regionis celo soloque molliori. Urgent migrationes terra prius, quam mari usu venisse, credibile esse quam maxime. Priscos Scythas eandem, quam Othinus, itineris rationem secutos fuisse, nihil esse, quod impediat; & denique a Russis diversam hodie in Gothis linguam obtinere ajunt; quam inter utramque originis & affinitatis, omni procul dubio, necessitudo aliqua intercederet, si qua veri specie per Europæ & Asiæ confinia in Scandiam olim pertendisse dicendi essent gentis utriusque factores. Verum enim vero debiles esse admodum istos colores, imo sponte sua evanidos, quis primo intuitu non deprehendit? Si enim in divisione aliqua, a Noacho suæ progeniei facta, vel enatis inde gentibus, sua cuique terra cessisset: ad illam occupandam proxima quemque via profectum, fertilesque quam steriles agros ante inhabitaturum fuisse, quæ magis in aperto posita esse potest disquisitio? Sed cum ejusmodi divisionem Sacræ paginæ, & perinde vetustissimorum temporum annales ceteri ignorant: regiones illas quæ sereno magis celo subje-

ctæ

etæ sunt, situs sui nomine, præ illis, quas ad arcticum polum natura removit, prærogativæ quidquam sibi arrogare posse, certe non invenio. Regionibus Asiæ atque Europæ istis, ubi temperies cœli maxima regnat, utrum non ibi quoque inhospita montium juga inveniuntur? In Ægypto utrum non palustres dominantur herbæ, & ex arenis, quam alto mari, naufragia sæpe majora metuenda? Et quid fodes absurdius, quam ex anfractibus difficultatem objicere Scythis ex Asia in septentrionem peregrinantibus? Unde illis *Nomadum* nomen, nisi ex prudente errandi & hinc inde divertendi consilio? Sane tam crebras Scythis sedium mutationes existisse Plinius asserit, ut *propter innumeras vagasque gentes, in describendis populis Scytharum arctois, maximam cerni auctorum inconstantiam*, idem neque difsiteatur. (a) Commune omnibus tractum septentrionalem incolentibus *Strabo* affirmat, ut alio facile migrent. (b) Vagabantur Scythæ quo ducebant commoditates. Illæ vero non consistebant in opulentis urbibus, aut fertilibus agris; præ istis enim deserta & humano cultu vacua Scythæ præoptabant, eorum ad ALEXANDRUM attestante Legato, quem, quod alia ex aliis Rex invaderet, argonautis minorum gentium, eundem annumerasse constat; (c)

B 3

Cum-

(a) Plin. H. N. Lib. VI. 17. (b) *Strabo* de situ orbis L. VII. p. 531. (c) Curtius VII. 8, 23. adde sis eundem Cap. VII. lib. ejusd. ubi de Scythia, cum ab oriente semet in septentrionem vertit, idem prædicat, quod inde sylvæ vastæque solitudines exciperent,

Cumque ex pastoritiæ rei cultu, item venatione terrestri & aquatica vitam tolerare, ipsis in consuetudinem natura vertisset, in illa vaga & erratica vitæ ratione, uberrimos pecorum pastus, montium profunda & interfecantes castra eorum piscosos annes, quocumque circumferrentur, investigasse & in septentrione quoque deprehendisse, qui redundantem naturæ muneribus tractum hunc coram aspexerit, nemo negabit. Loquitur in eandem sententiam prorsus academiæ Gothorum historicus ante celeberrimus, de genere humano multiplicato differens, quod cum migrare inciperet, tesquis & paludibus frequens solum invenerit, illosque terræ tractus imprimis secutum sit, qui cibationi & securitati vel præcipue infervirent. (d) Verum de isto Germaniæ utriusque communi suffragio & quasi in medio sita naturæ indole, pluribus differere nunc non vacat. Sufficit ex *Tacito* didicisse, qui olim mutare sedes quæsiwere, ignoti maris pericula non reformidasse, fabrefactis pro usu & simplicitate temporum classibus advectos fuisse, & qui Asia relicta, Germaniam peterent, quaqua versum *terris informem* eandem, *asperam cælo, tristemque cultu & aspectu* deprehendisse; adeoque frustra esse omnes, qui ex cœli bonitate, fortis & situs commoditate partis alterius præ altera, prærogativam aliquam exsculpere aggrediuntur. (e)

THE-

(d) *And. Stobæi*, de primis Scandiæ inhabitatoribus, luculentam lege dissertationem.

(e) Prodiit non ante multo OXONII editio *codicis ar-*

THESIS IV.

DE Ruffica & Gothica lingua, quam inter utramque tantam hodie discrepantiam existere ajunt, ut cogitari nulla major possit, & quanta locum

genti politior, archiepiscopi Svethiæ ERIC BENZELII junioris studio adornata. In illius operis proœmio cum versionem N. Test. esse dixerit non *Teotiscam* sed *Gothicam*, interpretemque pie venerandum non Germanum sed ex Gothia oriundum esse, illud, quidquid sit, carpere non omisere Auctor: eruditt. apud Lipsienses celeberrimi collectores, falli judicantes, una cum editore, Svecos, ubi Ostro-Gothos Vestrogothosque istos, qui Romanum imperium everterunt, Italiam, Galliam, Hispaniamque occupavere, ex parvis provinciis suis Ostro-Gothia & Vestro-Gothia erupisse sibi persuadeant. Adversus illam accusantium vim, quæ ad sistendam in veteri sua sede patriam Gothorum, in commune conferri possunt, ex antea dictis proclive est videre. Neque enim negaverit quisquam, quin sicut in bello superioris seculi Sveco-Germ. *Svecis* multi militavere Teotisci; ita in vetustate, clypeata *trans mare* turba multa confecerit militares Gothorum colonias: de eo modo nobiscum conveniant in commilitium adscripti focii, quod perinde atque Sveci expeditionis nuperæ illius, meritissimo jure auctores & actores fuere: Ita qui veterum ex septentrione eruptionum concitatores fuere, illi neque alia quam cismarina hæce gentium officinâ oriundi esse censeantur. Verum cum de eminentis industriæ *Oratore & philologo*, qui in detegendis iisdem antiquitatis mysteriis hodie versatur, nulli dubitemus, quin quæ ad defensionem patriæ ejusque primatis, ante modo mortui, monenda veniunt, æquo animo suscepturus sit non modo, sed & operi egregie suffecturus: amplius

cum nunquam habitura fuisset, si propinquum magis femininum obtendere utrinque possent: illam retunde-

disceptationem illam ingredi, nosmet superfedemus. Movit non indignam ulteriore examine quaestionem illam *Kirckmajerus* in dissertatione sua de lingua Scytho - Celtica à fine, Gothorum verò, an *suorum* opinioni magis faveat, CANCELLARIÆ CONSILIARIUS idem, cum commodum visum fuerit, docebit. Interim, quod ULPILÆ Gothorum præfulis nomen, præcipue vero terminationem attinet, quam recensio- nis cum honore memorandæ auctores nullo modo Gothicam sed mere Germanicam esse urgent, in diminutivis forman- dis usitatam, adeoque populi blanditiis adsveti genio *lupu- lum*, seu *lupi carulum* significare, ad modum ATTILÆ vocis, quam blandiente significato eodem *paterculum* exprimere a- junt; quæ *utraque demoninandi ratio, utrum Svehica ling- va genio aequè feliciter expediri possit*, vehementer dubi- rant. Dico, quod attinet Germanismi in *illa* idiotismum illum, ejusque prætensam significationem, nos nullo modo repudiamus D:nn censorum auctoritatem. Lingvæ Fennicæ dialecto, sive proprio sive appellativo nomini adjecta ap- pendix illa, rusticæ aut urbanæ possessionem villæ exprimit, e. gr. *Tomtila, Bucfila, Busila &c.* In illa vero diversa notionis potestate, Gothicæ lingvæ idiotismo Ulpis- lam & Attilam *lupum & patrem pugnacem* designare, non iturum inficias aliquem spero, qui ad inspirandam magna- nimitatem, a fronte minaci hominum atque animalium, nomi- na desumpta & proli recens natæ olim indita fuisse cogita- verit. Quod ad posteriorem vero notionem, qua, seu es- sentiali parte altera, componitur *Uphile* nomen, illud mo- nosyllabum est, & una cum abstracto *pugnae* significato, ho- minem ad ciendam pugnam, uti modo diximus, promptum & paratum præfert; Imo ex eodem primitivo masculina &

tundere illationem, adeo non multi laboris res erit, neque operosum negotium. Populorum migrationes loquelam vernaculam primorum temporum in diversas dialectos primum, mox lingvas conscidisse; interim inter disjunctissimos populos, quæ primigenium & sonum & sensum retinent, vocabula prostare alex quasi communi subtracta, criticorum patres consentiunt universi. Linguam, quæ in Russia hodie dominans est, *Sarmatarum* & *Sclavonum* dialectum esse, non negamus. Verum quod aborigines gentis eadem usi sint, inde non inferri posse videtur. Regionum & locorum penes *Ruthenos* residua etiamdum plurima sunt vocabula, quæ Scythicam ab utrinque consanguinitatem produnt, & commerciorum perinde atque bellorum fœdera invicem culta fuisse declarant. Suffragatur opinioni isti annalium nostræ gentis veneranda antiquitas; neque dubitandum, quin, quemadmodum *Fennicæ* & *Gothicæ* cognatio in multis sese prodit, de *Russicæ* in non paucis idem accommodandum sit judicium; nempe quod in illa notiones multæ a Gothorum vernacula, vix nisi dialecto sola distent, unde ad pristinam convenientiam potius, quam originis diversitatem non incommode quis subsumere possit.

C

THE-

feminina nomina; *Hildgrimir*, *Kraghildir*, *Hildetan*, *Hildirbrand*, *Hildirbard*, item *Alfhildir*, *Ragnhildir*, *Signhildir*, *Gunhildir*, heroum & heroidum multa desumpta esse, per se factorum libri non inficiandi consentiunt.

THESIS. V.

CLaruere olim non uno studiorum genere gentes appellatione *Germania* comprehensæ; sigillatim vero crebris illis, quæ ex his terris factæ sunt, hominum atque civium emigrationibus. Sapientiæ studio omnes vicisse barbaros; in virtute vero factis extendenda, Græcis sagaciores, certe promptiores fuisse, ex iis, qui annales Gothorum composuere: *Dione* atque *Jornande* auctor *hermathe-næ Sveo-Gothicæ* p. m. testis est. Bellorum penes se genitum esse numen majores existimavere; cumque fortitudinem non altissima inter virtutes fede modo idem consecrasset, sed & omnes qui in illa excolenda ad cædem & sanguinem usque strenuos semet præstarent, aulæ suæ deliciis compotes fore spondidisset: ne quam occasionem prætermitterent *summi boni* illius obtinendi, neve lautitiarum, quæ hujus seculi sunt, quarum apud exteros quasi quoddam copiæ cornu prostaret, penitus expertes essent: inde ad gentes procul distitas majorum peregrinationes crebro susceptæ fuerunt, sine non alio, quam quem modo innuimus, ut victorias sanguine emerent, injurias progenitoribus illatas vindicarent, & cœlestia cum heroibus contubernia per illam lethi viam sibi aperirent. Erat illa summa religionis gentium septentrionalium, sub primis *Cæsaris* circa *Istrum* vagantium. Nullos iisdem domi penates, nullas sedes fuisse, nisi quas *lassitando in diem posuisset, victum vilem, eundemque manu querendum fuisse*, Seneca testatur. Cumque fortis
suæ

suæ malignitatem in naturam perducere adfveti essent, res cui, quæso! miranda accidere potest, quod ex illa gelu durata, ex illa sciendi & agendi prompta gente advenâ potius, quam discincta molitie turba vernacula, qui pro securitate palatinæ ædis excubarent, in militiam suam PRINCIPES allerint, cooptaverint?

THESIS VI.

DE illis, quos ex *Scandia* ultionis ardor & ostendendæ apud exteros virtutis studium foras excivit, tenendum, quod eorum in diversas sedes translatio acciderit per integra modo civium examina emissa; identidem iterum non publico sed privato consilio, ut puta popularium ultro citroque comitantium, mitioris apud exteros cœli & soli pinguioris bonitatem laudantium; quam datam a se fidem, cum non suspensa voce, sed tradito de manu in manum pondere non exiguo auri & argenti, quale apud exteros congefissent, (a) obfignerent: quid mirum, si ad implendum opibus suos penates cupiditate non degenerare illi, qui domi essent, quoque inflammati fuerint? (b)

C 2

THE-

(a) Quantum *Norvagiæ* regulus Haraldus Hardrâdr, evocatorum in aulam *Byzantinam* domesticorum tribunus ex *Asia* redux populabundus congefserit opulentia, inque redivit, *Svethiæ* regis genero, suo mox focero futuro regi *Holmgardiæ* in custodiam dederit, *Sturtonidem* confer, & ex illo *Messe-nium* & *Holbergium* Dan. hist. part. I. pag. 169.

(b) De *Schveiziis* seu *Sveitzeris*, qui hodie sunt, & *Scæ*

THESIS VII.

AD illorum ordinem, qui seculis vetustissimis se, torrentis instar, effudere & ad pristinam rationem belli, quorsum se moverent, omnia rede gere; *Norrmannorum*, puta *Suevorum* & *Vandatorum* agmina *Gothorum*, quos una *barbarorum* appellatione Romana ambitio complexa est, suo non immerito jure retulerimus. Ad posteriorem classem, *Germanorum*, ab utraque *Balthici* maris ripa, sodalitates ipsæ semet referunt. Ad præstanda exteris principibus militaria obsequia protectiones invicem instituisse, quis ignorat? Ad easdem vero strenue obeundas, non tritum vetustate proverbium: πᾶν τὸ σύντροφον γλυκὺ; non quæ utrobique regnavit, regionis asperitas solum, sed in medio posita ætultatio utramque gentem eo quoque adduxit, ut quæ cum dignitate majori, & quasi in compendio parari possent, eadem rustico & humili vitæ genere non hi, neque illi acquirere magnopere desiderarent. Sunt apud exteros, non nego, qui verbo-fo laudum relatu laborem nostratium gloriam suam facere non

ligero teste, ex *Scandia* indigenatus sui nomen constanter repetunt, *Gundlingius* in historia Europæ politica refert, quod quoties juventute injuriis opportunâ laborare incipiant, fœderatis principibus in militiam eandem mox devovere soleant. Tuendæ libertatis indolem una cum agendi peritia, a progenitoribus suis accepisse, non dubitat quisquam. Præter cætera instituta vitæ cum exteris transigendæ, rationem distescendi eandem cum effectu addidicisse, exemplum illustre modo allatum non perplexe indicat. Sed dabitur de SCHVEITZERIS, nova in sequentibus differendi occasio.

non dubitant; qui præstigiis, quibus non exigua parte *Svethiæ* loco motâ, *Danica* in ponto *insula* olim exstitit, (a) iisdem hodie *Scandinaviam* loco movere, ejusdemque plus ultra translatae gloriam in se trans-movere sustinent. Quidquid vero sit, de verborum ampullis istis, quas non adultæ sed nuperæ opinioni suæ diversæ civitatis indigenæ nonnulli prætendunt: migrandi sine dubio causa multo speciosior genti ad arcton prope remotâ, quam quorum incommodis temperamento fœcundiore *Titan* prospexisse videtur. Non dico terris hisce tantam regnare intemperiem, quanta non adhibita industria emendari queat. Cum caloris & frigoris incrementa usui humano distingveret summus rerum Opifex: arborum & frugum, pro regionum conditione genera quoque varia creasse, quæ cultura accedente, ad vitæ sufficientiam conferrent, non indocilis multorum seculorum disciplina nos erudit. Sed cum antiquitus, dum adhuc inculta jacerent multa, incolæque earum, quibus posteri naturam perfecere, artium ignari essent; certe tot & tam

C 3

varia

(a) Qua arte *Gesom*, ex *Asia* oriunda cantatrix *Svethiæ* non exiguam terræ partem situ natali suo erutam, per æquor traxerit, & *Gotbo-Danici* sinus regione illa constituerit, ubi *Selandia* hodie conspicitur, *Eddæ Snorronis* fabulam I. ed. *Resen.* cfr. sis, ejusque apud diversos diversam explicationem. *Scandinavix* non exiguam partem fundo suo revulsam, ex uno in alium locum olim transfudit magica *Circe*. novo prodigio tractum eundem integrum, *coloniæ Wandalice* ultramarina sede locatum vide *Eccardi* origin. Germ. tabulam primam, §. 24. pag. 47.

varia non suppeterent vitæ retinendæ instrumenta, quam, durante polygamia, vis hominum infinities aucta efflagitaret: ut sagittam e cælo demissam & ancillis instar Scythis commendatam strenue arriperent, & per eandem iter sibi aperirent in gentes, quas cæli clementia emollivisset, qui seniores erant in medium consuluerunt. Quoties autem occasio se offerret ad confercendum pro aris & focus arma sua, sociis trans mare, segniores nullo modo fuisse, pro religione *Othini* olim suscepta passagia, & adversus *Afaticum Vejovem* alterum, cruciatæ, Christianitatis propagandæ titulo, factæ coitiones planum faciunt; præcipue vero *Honorii III.* papæ, bulla, quæ cum ad signa ceteros Europæ reges lituo suo excitaret, non *Svethie* reges solum ad idem CHRISTI adiutorium compellavit, verum id de gentis suæ regibus antecessoribus honorificentissime testatus est, quod *rubigini arma sua nunquam reliquissent; verum ad pugnam ceteris præcesserint, quoties militiæ cingulum induere sibi suoque nomini gloriosum existimaverint.* (b)

THESIS VIII.

Cum dentur in civitate identidem, qui malitia & fraude quacunq; principem culmine suo dejectum velint; custodes corporis qui imminentibus periculis se opponant, & excubiis nocturnis quietem illius

(b) Affectuosissimè scriptam epistolam invenies B. L. apud *Vastovium* Colon, edit, Salivam movisse mihi in præfenti fatis erit.

lius muniant, ædi palatinæ præfici necessum est. Ad detrahendam instituto invidiam, sicut ipse Princeps Romæ *Imperator*: ita, qui ejus securitati invigilabant *prætoriam* primum, mox *domestici* appellari siveverunt. Qui *AUGUSTO* imperatori novo munimentum principatus & ornamentum principalis status præstabant, equitum peditumque circiter decem millium numerum conficiebant. Erat illa civium militia cohortibus mixta peregrinis, temperamento non indiscreto neque tyrannico, uti *Aristoteles* sentit, sed ad occupandas insidias cauto & circumspecto. De illis adscitis aliunde protectoribus prætorianis in extrema parte plura. Hoc loco dicendum venit, quod *domesticorum* claro nomine insigniti fuerint, ab illo tempore præsertim, quo *Gothorum* reges in *Italiam* penetrassent, & in illa rei *Romanæ* arbitrium sibi vindicassent. Florebant ætate illa, qui glaciali ponto viciniore erant fortitudinis pariterque integritatis fartæ tectæque conservandæ laude. *Germanorum* appellationem *Scandiotis* competere jam ante monuimus. Quum vero promiscue omnia, quæ cum laude gesserint *Gothi* & *Normanni*, longo post sua merita stare prætendant ordine locoque, qui hodie salutantur *Germani*, præsertim in sua Germaniæ historica exegefi *J. G. Eccardus*: in illam summam gloriâ, quod ante *Germanos fide aut armis nulli mortalium sint, vaginam gentium nostram hanc quoque venire debere*, multa sunt, quæ nos certos esse jubent, & quidem præsertim *domestici* cognomen. De notione illius *ecclesiastica*, (a) præcipue

(a) Palatinæ domus præfecti sub nomine *Hus: Sörstar*

cipue vero *politica* significatione apud veteres, non est ut operose multa congeramus. Sufficit, dixisse eximiam præ militia domi nata *domesticorum* fuisse dignitatem, eorumque fidem & operam, quam ceterorum, luculentiore mercede nunquam non pensatam fuisse. Erant, præter eximiam corporis speciem, armaturâ & cultu militari præ ceteris conspicui, imo ad corporis hujus a plebeja militia distinctionem, non *centurionum more modo baculos gestare* singulis permillum, (b) sed appellabantur qui illis præerant *Comites* etjam, *magnis Ottomannicæ aulæ Visirii*, (c) qui

in bibliis V. T. occurrunt, *II. Chron. XXVIII. v. 7.* Novi T. interpretibus *Domestici fidei Galat. VI. 10.* appellatur, qui per fidem sunt in eadem atque nos, familia Domini. In ecclesia primitiva, qui oratoriis privatim præerant, & ad dominorum suorum mensam pertinebant V. D. ministri, more hodie quoque recepto, *Domestici (Hus-Præster)* audiebant. *Chrysoß. homil. 18.*

(b) De corporis custodia sequiorum imperatorum, & *Germanis* habito honore hoc ipso, ex *Dione Cassio* differit *Ec-cardus* de orig. Germ. p. m. 336.

(c) *Montesquieu* *considerations sur les causes de la grandeur des Romains & de leur decadence*, p. 145. ed. Sv. *Lingvæ Scyrbo-Scandica* per *Europam Asiamque* propagatæ exemplum *Visirii*, sine dubio vocabulum suppeditat. Patria dialecto militaris globi, & quidem præcipue maritimæ expeditionis præfectum denotare *cippi Runici* passim & ubique erecti testantur. *Turcica & Arabica* lingua aulæ *Ottomannicæ* ministrissimum, cujus super humeros reclinet moles ipsa imperii, exprimere, inque nostra veteri sensum obtinere harmonicum, non longe quisque videt. *Gothicum Martem* per

qui hodie sunt, auctoritate non inferiores. Erant illi primi ordinis viri, inque interius consilium, in quo de summa republica agitabatur, admittebantur; imo cum turbida domi forisque rempublicam tempestas percelleret, summæ imperii non raro præficiantur. Ne de JOVIANO & DIOCLETIANO imperatoribus, ante regnum domesticorum primiceriis quid dicam: de ATTAULPHO Gothorum in Hispania primo rege litteris proditum invenimus, non solum quod antecessorem regem cognatione proxime attigerit, sed & ex comite domesticæ militiæ, cum festinato fato ALARICUS occubuisset, in majestatem regni, qua stetit affinis, eundem dextra fors inde sublimaverit. Domesticici vero nomen, si non quid sonet, sed quem sensum fundat, attendere voluerimus, ex jure aulico Norvegiæ regum desumptum esse, inter omnes constat, quibus nostri orbis vetus aliqua superest noticia: Romborgen aulam Romanam, notatu digno nomine, factorum nostrorum libri appellant. Romwargar a wårja / custodire, (*) vulgo dictos fuisse, qui in urbem olim excurrerant; blando vero & publice recepto magis nomine Huskaller / (d) Huskarlar & demum

Walshalla Bisiv exprimi, & stragis late editæ dominum portendere, Mythistoria nostræ gentis nos docet.

(*) Ecclesiarum in Scania curatores laicos Kyrckewargar cognominari, vide dissert. de Gothungia Lundsensem, p. 36.

(d) Sub nomine Gallorum in aula C:politana pridem effloruisse hanc ex Scandia militiam prætorianam, in tractatu suo de Væregia Cl. Biærner observat. Kall & Karl Gothi virum exprimere, & inde Vanorum paludi finitimam regio-

demum *Hirdamāna* / qui arduam & momentosam intra aulam (in *om* *Hirdar*) provinciam sustinerent, compellatos fuisse, multis in *historia Svethie pragmatica* sua probatum ivit regni non multo ante historiographus.

THESIS IX.

Scandianorum, qui apud *C:politano*s *Cesares domestico*rum munere primi functi sunt, ex illis XL. millibus *separatim divisi* fuisse videntur, quos sociorum nomine, in militiam *Romanam* cooptandos esse, inter gentis utriusque principes (*Gothorum* puta *Romanorumque*) jam ante convenerat. Cur vero hanc coeli plagam, quam ceteras ad robur & pugnandi fiduciam plus valere existimaverint veteres, hanc habe. Incedebant *Gothi* lacertis & proxima pectoris parte nudi, eorum, qui oram orbis arctoam prope contingunt, hodierno quoque usu & consuetudine. Cumque ad incrementum corporis non conferat parum frigoris patientia, calorem illa prohibeat, adeoque sanitatis quoddam in se principium contineat, ex illa terra, quæ homines ejus indolis

nem *Ralland* (hodie *Rällan*) suam quoque denominationem fortiri, non ambiget neque addubitat quisquam. Quæ quia cum *Manheimo* appellatione *Scandia* prisca proxime convenit, & fortium virorum patriam utraq; importat; non quid de *Gallis C:politano*s eorumque patria sit censendum modo, sed & *Gallorum* notione, quæ illius in *Scythis* olim *Celtisque* significatio primigenia fuerit, ex dictis neque difficulter colligi potest.

lis gigneret, ceu feminario quodam, armigeros, qui securitatem domi bellique præstarent, quærendos esse, *Romulidæ sedis* domini graviter utrinque sentiebant. Loquitur de illis, qui orbis regna perdomuerant, primis Cæsaribus *Jornandes*, non solum, quod *Gotbos* in sinu Oceani repositos subigere non potuerint; verum de CONSTANT. MAGNO, voce tanto viro dignissima, perhibet etjam, quod ab Imperatore illo *non invitati modo, sed & rogati*, opem eidem versus æmulum attulerint; imo devictum eundem & imperio privatum cruento victoris mucrone trucidaverint. Ne de *nova* veteris æmula *urbe Romana* quid dicam, quam ex suo nomine dictam voluit Imperator. In ejus substructionem perinde atque versum hostes, quaqua regni parte imminerent, *Gotborum semper præsto fuisse operationes*, breviter idem sed ad rem apposite testatur; (a) *Eusebio* ejusdem ætatis suffragante historico, qui de iisdem *barbaris* testatur, quod ad tributa *Byzantinos* in imperio antecessores cœgerint; a CONSTANTINO vero vi partim, partim prudentibus placati legationibus ad civilem vitam traducti fuerint. (b) Post hoc tempus frequentissimæ esse cœperunt *Scandinavorum* nostratium in *Græciam* profectiones, fortitudineque invicta sua effecere, ut non unius ætate hominis, sed per plura temporum intervalla intra palatium familiarius militaverint, neque indigenis galea & clypeo decoris solum, sed & exteris in

D 2

ferrum

(a) *Jornand. hist. Getica* ed. Grot. p. 640.

(b) *Euseb. vita CONSTANTINI* p. m. 174.

ferrum fatumque ruentibus prælati fuerint. Inveteravit illa ab antiquo laus in nomine *Scytharum*, ut sanctitate rebus suis periculosa quoque, fidem coluerint, non, quemadmodum *Græci*, jurejurando eandem sanxerint. Quàm vero non illa fide *Gothi*, in *Græcia* constituti licet, mercati fuerint, exinde non difficulter intelligi potest, quod non in aula castrisque solum principis sui stipatores laterani exstiterint, verum in provinciis etiam ad publicum pertinentia alia munera & ministeria obiverint. Erant regni virium principale robur, instar *Genizariorum* hodiernorum per provincias *scholasque* distributi, qui martio operi devotæ juventuti alacritatem militarem inspirarent, & quæ strenuum bellatorem efficiunt, exercitationibus advescerent. Cumque in *Iusoria arena* (*Letwall*) gentis suæ pugilum & *Berserckorum* (*Stranglekr*) auspicio, ad pernicitatem, agilitatem & firmitudinem, verbo, ad conferendum cum hoste sine metu, lacertos jam ante domi præexercitati fuerint, (c) in mentem venisse *Byzantinis* non simplici vice invenimus, ut præter illos, quos sponte venientes benigne reciperent, plures per litteras insuper etiam e patria ad corporis sui custodiam evocarent, ac maximis præmiis ornarent. Occurrunt eorum ab arcto ar-

(c) Dissert. de VANORUM Gothica gentis originibus cfr. ejusque part. post. p. 62. seqq. & sicut *Romani* suum *campum Martium*, ita in *septentrione* martis pullos sua gymnasia, quibus ad corporis & animi firmitudinem exercebantur, habuisse videbis.

cessitorum non pauca neque obscura, apud *Byzantinorum* rerum scriptores, vestigia *domesticorum*, quibus *σαματοφύλακες*, *δρευφόροι*, *πελεκυφόροι*, *μαχηροφόροι*, *βαράγγοι*, *υπερασπισται* vocantur, atque *ἔθνος βασιλεύουσι Ρωμαίων δαλῆσαι ἀνικάθεν*, nec non præcipuum sæpe, terra marique auxilium imperii fuisse perhibentur. Fuerunt illo apud exteros, cognomine multo insigniti. Nostrate lingua neque inani vocis sono, sed tracta ex inclyto vitæ genere, appellatione, *Væringi Waringar* / audiebant. Stat pro testimonio nominis illius parochianum in *Vestro-Gothiâ* templum, sumtibus sine dubio *Væringi* cujusdam exstructum, saltem memoriæ illius consecratum. Refricant rei gestæ memoriæ stelæ lapideæ per patriam passim & ubique locatæ. Loquuntur de majorum a *Tibule* ad *Myrlagards Kaisari* (*Imperatores Cpolitanos*) factis profectioibus, scriptorum ab arcto testimonia plurima (d) Prostant de iisdem elogia principum ipsorum quoque, quorum custodiæ adhibebantur, quod inviolatæ erga augustos fidei fuerint, eandemque a patribus transmissam hæreditatem constantissime tueri parati fuerint. (e)

D 3

Via,

(d) Loquitur de *Danis Cpolitana* urbis stipendia merentibus *Saxo*. De custodia ceterarum subpolarium gentium, quibus, ceu vallo, illius loci principes, salutem suam emunire solici fuere, multa non uno, sed pluribus locis *Starlonides* edisserit.

(e) De ministris aulae hinc, urbium, ad quas divertebant *imperatores*, quoque custodibus, *ANNA COMNENA imperatrix*, *CANTACUZENUS* & *ZONAKAS* multa litteris prodidere.

Via, qua in *Græciam* proficiscebantur *Barangi*, (f) h. e. *Væringi* nostrates, per *Holmgardiam* & *regiones Russiæ Tanaiticæ* directa fuit, eratque eadem prope, quæ ante *Othini* recentioris adventum, longissimi ævi *Scando-Scythi* inservisset, & primorum seculorum Christianis *Suedis* in *Palæstinam* tendentibus pro transitu quoque usitatam perhibet non obscure *ADAMUS*, cum e *Svionia terrestri via* in *Græciam* nonnullos penetrare voluisse ait, sed barbararum gentium, quæ in medio sitæ erant, invidiâ iter impeditum, & propterea navibus tentatum fuisse periculum. Sunt de *Væringis* ab *ANNA COMNENA Imperatrice* e *Normannia* evocatis, præsto testes *Oriellius* & *Hofmannus*. Nostro vero ævo, antiquitatis *Sveo Gothicæ* partem hancce omnium optime explanasse censendus est *D. D. Ol. Celsius*, senior, ad omnem vetustatem fabulis eruendam natus factusque, quem postquam superstitem percoluere omnes boni, post finitam nuperrime mortalitatem, studio cultuque degenerare neque posteritas profecutura est. (g)

THESIS. X.

BYzantinorum majestati imperantium, eorumque versus raptim incidentia quæcunque egregie pro-

(f) *Wæringi*, vocabulo arctoo ad indolem *Græcam* paulatim inflexo, *Βάγαγγοι* dicebantur. Quomodo vero lingvæ magis minusve cognatæ elementi *β* & *V* sonum non difficulter permutare soleant, *Ψabst*, *Ψavst*, *Ψåvst* indicio esse potest.

(g) *Actor. Litt. Sv.* anni 1728. p. 478. seqq.

prospectum fuisse vidimus. Utrum in *Italia* & quidem *urbe* in ipsa, prætorianæ militiæ commoda, antequam perfectas respublicas uno quasi enixu constituerent, *Scandiani* sint sicuti, velitationis nostræ prora est atque puppis, quam equis velisque invicem, sed sine triumpho movere solet circum *Baltici maris* oram martia gens utrinque sita. Cum vero sit problema idem seculo, quo nunc vivitur, prope indissolubile, neque nisi eorum, qui ad illa tempora proxime accedunt, contestatione expediri possit: quæ hinc inde transacta invenerimus in rem nostram, & cur in societatem laudis, quam in confinio sita gens prætendit, *Gothos* quoque venire debere opinemur, agite, dispiciamus. De *Romburgo* & *Romvaregorum* in annalibus. (a) *Sveo Gothicis* identidem obvia mentione ad §. VIII. nonnulla modo verba fecimus. Ad terribiles vultu *Scythas* & tractas per plaustra vagas eorum domos, originem referre Romanos *rigidosque Gothos*, *Horatius* animadvertit. *Illam*, a qua decus omne suum *urbs* ipsa trahit, *Martiam prolem* lupina ubera suxisse posteritas non invita agnoscit. *Hyperborei martis* ejusque posthumæ argonautarum turbæ eandem, quæ

(a) *Urbis Romane* castri, eidemque in custodiam datis *Waregis* WERELIUS meminit, quocum cfr. *M. Salsedii* TUNÆ *Dalecarlicæ* descriptionem, ubi *Rom-sar-thunæ* parochiæ, ditionis *Westmannicæ* mentionem injicit, quam magnatis *Svehici* cujusdam, in suo nomine, memoriam servare autumat, nempe cui ex peregrinatione *Romana*, cognomen *Rom-sar* inditum fuerit,

quæ *Romanorum*, indolem fuisse, cum *Vargis* & *Va-*
regis austero more eodem egisse; verbo: *Germanos*,
 viros in bello acres egisse (b) & domi militiæque
 eidem studiorum generi adscriptos fuisse, minus in
 ambiguo res posita esse videtur. (c) Porro, cum de

(b) CÆSAR Bell. Gall. I. *Germanos* in armis exercitatis-
 simos, qui intra XIV. annos testum non fubiissent, com-
 mendat. *Seneca* iisdem *quid animosus, quid ad incursum a-*
erius esse querit? *Armis innasci & innutrir* ait.

(c) Abit ab hac nostra in diversam sententiam *Wachte-*
rus, in exquisitissimæ elegantix opere suo *etymologico*, cum
 conspiratarum *Germania* civitatum institutum fuisse ait, nul-
 lo modo *Romanis* pro stipendio militare, sed saltim jugi ex-
 cutiendi & libertatis a servitute eorum vindicandæ intuitu,
 arma versus eosdem arripuisse. In suæ sententiæ robur,
 non aliorum, quam *legis Salicæ* & demum *Cluverii* auctorita-
 tem adducit. Sed postquam a *Germania* nomenclatione non
Sveones Tacitus, non *flavos ab extremo aquilone Svevos* Luca-
 nus eximit, nedum ludicri certaminis auctor ipse *Cluverius*,
 & denique de *Germanis* non simplice vice testentur histor.
 Rom. scriptores, quod non unius sed invicem semet exci-
 pientium plurium *imperatorum* custodiæ præpositi fuerint,
 quare unius ævi locique amicitia cum diuturnitate belli
 alio loco & tempore sæpissime gesti, consistere non possit, cer-
 te non video. *Wachtero* videtur æterna amicitia cum pro-
 fessa odii æmulatione consistere non posse; Sed si viro do-
 ctissimo advertere placuisset, illam quæ olim fuit, *antipathiam*
gentium pridem evanuisse, eandemque *vix naturalem, sed sal-*
tem politicam dari, cujus a fortunæ diverso colore & com-
 modi qualitate dispari, omnis est suspensa integritas, quo-
 modo cum temporario conciliari æternum, & rerum dissimi-

de *Germanis* testetur CÆSAR (d) quod in illis nulli sint, qui rebus divinis præsent, neque sacrificiis studeant; item quod in *Deorum* illos numero ducant, quorum opibus aperte juvenur; ex illa vero priore notâ gloriolam, quam captare præsumunt moderni *Germani*, qui nostrarum partium sunt, adsciscere sibi non sustineant; propterea quod de *Cimbris*, *Gothis* & quæ eosdem hospitaliter invitasset, *Aufonia* gente *Strabo*, (e) *Procopius*, (f) *Lampridius*, una cum *Sturlonide* testentur, non solum quod omnis

lium non *αὐτοματικῆ* harmonia haberi possit, non longe visurus fuisset.

(d) *Bell. Gallic. L. VI. 20.*

(e) Ritum occidendi homines, eorumque victimarium sanguinem penes *Cimbros* effundendi rationem inculcat *Strabo* lib. VII.

(f) De *Gothis* *Procopius* refert, quod Romano more *Herculem* & *Martem* coluerint, & qui cum illis ejusdem sanguinis essent, eorum in unum coire soliti fuerint legati, cæsoque palam homine, horrendos ritus celebrarint. Nobiles & decoros cives, imo reges & regum filios *presidentæ Gesticis arvis Gradivo* pulcherrimam hostiam obtulisse, ait. Pro vitæ propagatione *Aunium Suetbiæ* regem filios, alium post alium privatim obtulisse; item ad depellendam annonæ caritatem puerum in regno præstantissimum, mox regem ipsum oblatum, ejusque sanguinem delubri parietibus adpersum fuisse, *Sturlonides* auctor est. Apud *HELOGABALUM imp. Rom.* tantum valuisse inferorum genium, *Lampridius* testis est, ut decoros ille quoque per *Italiam* pueros conquireret, eosque *patrimos* & *matrimos* immolaret, ut major esset utriusque parenti dolor, & piacularis illa deo magis grata victima.

generis hostias promiscue immolare soliti fuerint, verum quod homines sacrificare *Romanos* quoque condocerint, ad illud victimæ genus per se satis ante pronos. dico momentis rei gestæ iisdem ad calculum probe adductis, nationum, de quibus disceptatur, cis marina ne, an transmarina *Germanorum* cognomento magis digna sit censenda? utrum non tolli commodè præcaverique possit repugnantia, quam *scriptori AUGUSTO* affingunt interpretes, si ad *Germaniam* ab altera parte *maris Baltici* sitam, prius effatum: iterum ad arctam magis religiosamque *Romanorum* cum *borealibus* (g) communionem, quæ sequuntur verba retulerimus, litem non leviter æstimantibus decernendum relinquo.

THESIS XI.

Iterum cum de *Hetrusca* lingua vetere, *Svetonio* teste, constet, quod in illa *Æsar*, id est *Asiatici*, cognomine *rerum omnium* OPIFICEM veteres intellectum voluerint; Item de *Othino*, *Asiatica in septentrionem migrationis primipilo* perinde quoque notum sit, quod cum religionem ille renovasset & instaurasset, non *Asir* & *Asiamann* per excellentiam modo, sed etiam insuper *Allmächtiger Nas* in nostra *mythistoria Edde* nuncupari meruerit; imo non vernaculæ vatis interpretamento illo solum, sed

(g) *Consentes Romæ Deos* numero XII. fuisse, sacrificulosque suos singulos habuisse notum est. *Ulfatia* quoque fuisse duodecim olim, qui sacrificiis præessent, *Sturionidem* in vita **B. OLAVI** regis confer sis.

sed CÆSARIS & *Lucani* attestatione (a) quoque proditum inveniamus *deum Germanorum*, qui bella regeret, *Hæsum* vocatum fuisse; & denique quæ eodem seculo se in *Italiam* infunderet *Germania*, a *rerum natura diremtam*, *Oceano proximam* & *frigoribus rigentem plagam* fuisse; (b) cui, quæsumus, non mente & calamo sincere locuti sunt censendi, qui *Trojigenam Martem* utrumque *Othinum* & *Quirinum*, sicut *originis* & *lingvæ ejusdem* antiquitus fuisse censentur; ita mores, instituta atque cultus idololatrici solemnia quoque miscuisse? Si *peculiarî veneratione arctoi orbis*, sacra ejusdem ceteræ orbis partes sunt complexæ, paganicæ penes nosmet religionis antistitem non *sibi* solum errasse, sed & in societatem vitæ morumque, sanguinis transalpini confortes pertrahere aggressum fuisse, nemo ambigit. Inde cum *caeleste sacrum* orbi innotesceret, ne quæ *Gothis* in *oriente* lux affulgere cœpisset, in *occidente* deficeret, *Gothorum* sacra (de quibus verbo plura modo) *Romæ* restaurari fecisse GREGORIUM pontificem, (c) & loco, qui *suburra* dicitur, ecclesiam Christianis adscriptæ *Gothorum* genti splendidam dedicasse, *Platina* auctor est. (d) Illam ve-

E 2

RO

(a) *Schefferi* Upsal. antiq. p. 79.

(b) *Quintilian.* declam III. p. m. 28.

(c) Pietatis utilis, seu carimoniarum, post *Ammonium* sectator GREGORIUS magnus, an verò ejusdem nominis alius aliquis *Gothica* apud *Romanos* ecclesiæ instaurator fuerit, cum *Platina* ad manus non sit, pro certo dicere nequeo.

(d) *Spegels* *Kyrcchio* *Histores* II. Del p. 24.

ro cum non nisi paganismo destructo, substructionem accidisse, non obscure quisque cernat; quin, de *Romæ utriusque imperatoribus* constet, quod in illo Christianismi diluculo neque nisi militaria cum *Gothis* commercia coluerint, idque ad *alterius imperii destructionem usque*: (e) de *militia Gothorum Romana* quis dubitaverit, quin ibidem loci illa quoque per diu obtinuerit, & qui in urbe manerent, *Byzantinorum Veringorum* more, auctoritatem dederint illis etiam, qui trans Alpes ultro citroque commearent, popularibus suis Christianæ religionis apud penates propagandæ; cujusque in *occidentem* perinde atque in *orientem* directi instituti, *pila lapideæ*, quarum supra mentionem fecimus, non ficti, non humiles, neque sine pondere testes sunt.

THESIS XII.

Sed erunt forte, qui, quæ hæcenus adduximus; moralem verosimilitudinem, non politicam demonstrandi vim habere existimabunt. Non nego, post præterlapsa tot annorum secula, difficillimum esse priscam acti cujusque memoriam ad *notorietatem juris* adducere; inprimis cum quæ recessibus abstrusis condita sunt, pro captu & ingenio referentium, ab *his* cum encomio, ab *aliis* cum vituperio;

(e) Ad JOH. CANTACUZENUM usque multa in historia *Byzantina* de *Veringis* nostris narrari, & ad exitum fere *Imperii Constantiniani*, ad *aulam Orientalem* eosdem commeari solitos fuisse, pro non improbabili agnoscit beatæ mem. doctor *Celsus*.

perio; nonnunquam quæ cum laude gesta sunt, non nisi obiter & quasi suspensa manu efferi soleant; eaque de *domestica militia Romana adscripta phalange Gothorum* apertissime omnia constant. Quidquid vero sit, cum non nuperâ traditione nitatur fides, & ad gestæ rei probationem oculati, id est, veteris ævi testes pro *Gothis* advocacionem plures susceperint, quæ cogitate alii atque alii, quamvis breviter, pro testimonio adduxerint, advertere non pigebit. *Germanis* prætorianæ militiæ honorem *Romæ* olim habitum fuisse, & ad *glacialis ponti* viciniam *Germania* appellationem spectare, ex *Svetonio* & *Quintiliano* jam ante probavimus. Ex illis, qui *borealis* militiæ decus illud *Scythis* atque *Gothis* aperte vindicant, *Cinnamus* & *Nicephorus Gregoras*, & qui utroque illo vetustior est, *Herodianus* nominandus est; quorum ille ab antiquo *bipenniferos ex septentrione custodes principibus Romanis servasse* testatur; Iste ex *Scythia* (a) *satellitium in legiones Romanas relatum*; Hic, *POMPEJI, DARIÏ & PESCENNII NIGRI arctico milite consumtam fuisse virtutem* testatur. (b) Quin, ne illorum consensu

E 3

(a) De *Scythis* hujus avi, quod *Gothorum pars* fuerint, & orientem vastaverint, *hist. Eccl. vert.* item *hist. aug. scriptores* cfr. illos p. 421. hos p. 465. not.

(b) *Herodian. III. 4.* De *Germanorum* velitationibus, sub *CÆSARIS* partim, partim etjam *POMPEJI* imperio, *Lucanus Pharsal. lib. I.* itemque *Hirtius* de Bell. Afric. nonnulla moment. *Germanorum* auxilia in civilia bella *CÆSAREM* rapuisse, *Lucanus* prodidit. militasse quosdam etjam *Germanos*

triumvirorum rem omnem confectam quis existimet, præeuntem in eandem sententiam, & testimonio priorum fidem facientem *Isidorum, Hispaniæ primatem*, in vicem cumuli allegare juvabit. Perhibet ille de *imperatoribus* etiamnum paganis, quod indigenatui minus confisi suo, corporis & publicæ rei salutem omnem *Gothis* permiserint, utpote ex illa gente editis, quorum colonias nullas *Graci* ante misissent. (c) *Gothorum* in bello civili militantium historiam verbo saltem *Herodianus* perstringit. Ut autem jucundam, eamque longinquam magis recordationem animo teneret, quicumque legeret, sua numerosiore facti recensione *Isidorus* effecit. (d) *Cum pro arripiendo reipublicæ imperio*, inquit ille, **CNEUS POMPEJUS & CAJUS CÆSAR arma civilia commovissent**, *Gothi ad præbendum CNEO POMPEJO auxilium in Thessalia adversus CÆSAREM pugnaturi venerunt. Ubi dum Æthiopes, inde, Persæ, Medi, Graci, Scythæ ac reliquæ orientis gentes vocatæ adversus illum dimicassent, isti præ cateris eidem fortius restiterunt,*

sub POMPEJI signis eisdemque in *Africam* delatos, a *Scipione (Pompejani)* partibus stantes, versus CÆSAREM pugnas-
se, alter perhibet.

(c) Qualis olim fuerit *Græca fides*, & quid *Græca fide mercari*, phrasis importet, ex ipso *Scytharum* ad **ALEXANDRUM MAGNUM** legato disce apud *Curt. VII. c. 8. §. 29.*

(d) *Isidori Chron. historia Gothorum, Vandatorum & Longobardorum* ab *Hugone Grotio* insertum lege; isthanc vero de *Gothorum* in bello civili fortitudine relationem lege pag. libri 709.

runt, quorum *Cæsar* virtute & copia turbatus, fertur fugam meditasse, nisi nox prælio finem dedisset. Illam fidei & fortitudinis commendationem, ne quis existimet illius ævi fuisse saltem, sed quam labentibus seculis *Gothi* prodegerint, de *VITTIGE O. Gothorum* in *Italia* rege, *Johannes Magnus Svethiæ primas* testatum reliquit, quod ab hoste externo laborantibus *Romanis* electos propugnatores reliquerit, qui sanguinem & vitam pro ipsis & republica eorum in omne periculum libenter exponerent. Causam cur gentium victoribus lauream *Gothi* præriperint, subjicit *Vegetius*, L. I. c. 2. quod *largo sanguine sub arcto homines redundant, & cum caloris naturalis plus contineant, quam orientales, inde vulnera neque metuant, aut ad prælii dimicationem extimescant.*

THESIS XIII.

PRistinæ veritatis faciem, si exempla quam testimonia quis magis retegere existimet, iisdem in loco adductis, quæ de arcessitis in *Italia* gentis nostræ prætorianis ante differuimus, ad liquidum perducere quoque in proclivi erit. *ODOACRUM Scytharum Herulorum*, qui ex *Rugia* venerant, militiæ præfectum, pellibus vilissimis, (a) ne *Scytharum*

(a) Ex animalium domi natorum, & quidem præcipue *Rhenonum* hispidis pellibus, qui polo viciniore sunt homines, togas in amictum concinnare solere, usus ipse hodie docet; eundemque vestiendi modum majoribus in usu fuisse *Scythis*, pristinæ ætatis gravissimi scriptores planum fa-

tharum gentem ignores, coopertum in *Italiam* venisse, inibique satellitii imperatoris ducem datum fuisse; & ut *Gothum* agnoscas, cerealia munera *Gothis*, *Romano* more, mox dispersivisse, una cum *Salviano*, testis est *Procopius*. Iterum, si cui non sufficere videtur exemplum unice hoc ipsum ad collocandam in luce præsentem disceptationem, en historicum eundem, *Procopium* puta, agmine facto plebejæ adversariorum invidiæ occurfantem. Diximus ante modo, familiæ regiæ affectas fuisse *domesticos*. Sed erant aulæ contubernio, communi lege sociati *inferioris* quoque *ordinis palatini*, utpote *Senatorum*, qui securitatis suæ non minimam rationem collocare sivevissent in externi cujusque armigeri, ejusdemque validissimi & pulcherrimi satelli-

ciunt. *Pelliceas vestes* in *Paradiso* DEUM comparavisse protoplastis, neque nisi heroës, eorumque filios olim & hodie istiusmodi gestare togas, publice notum. Et quod *Rbenonum* decora nigredine animalia attinet, siquidem de iisdem constat, quod non in ultramarina, sed saltem illa *Germania* parte, quæ *Paulo Warnefrido* contestante, *Scridosennorum* est, progenerentur; ex quo coeli cardine venerint robora virorum illa, quæ armis suis *orientem* concusserunt, suaque fideli statione lata mœnia *urbis* & aulæ in *occidente* defenderunt, per se apertissime patet. Fastidiebant *Romani* amictum nostraticum, ceu olidum & plebejum; magis male vero olevisse ejusd. ætatis sacrificulos suis vitiis, quam barbaricorum scetore induviorum hostes sui, *Salvianus* sec. IV. presbyter **MASSIL.** in doctrina *moralis* sua, multis conqueritur,

fatellitio. (b) Illum animi habitum cum esse sciret ALARICUS *Romanorum patriciorum*, & ad infringendam cum sua gente pacem, consilia nefaria *Imperatori* eosdem maxime suggessisse novisset, ad declinandam novam hostilitatem, furtum hosti ingeniosum, sed salutare ejusmodi intendit. Iracundiam dissimulavit, & postquam, ex fœdere in *Galiam* se abire velle HONORIO obnunciasset, trecentos juvenes agminis sui robustissimos, pacis & amicitiae obsides, *Romanae* urbis principibus dono obtulit; cum quibus jam ante clam convenisset tamen, ut cum somno langverent domini, ad intempestae noctis constitutum convolarent, & ad retro ingrediendum sibi suorumque agmini portas aperirent. Peragunt quod imperatum fuit, suum munus utrinque, admissusque est omni suo cum milite ALARICUS; cumque quae a reconciliato amiciter offerrentur, quam pro periculo, confidenter & temere magis arriperent *Romani*, conjunctam ante fuisse gentis utriusque consuetudinem, horumque sub ægide *Gotborum* excubitorum, quasi in *Saturni Latio*, desidia suae indormivisse, qui in imperio municipales essent, non obscure colligitur.

THEISIS. XIV.

TRiarios in primam aciem præmisimus. Levem armaturam, qualis in *Gotbis* olim *Herulorum* erat, superiorum stabilitati subjungimus. Utrum minus
 F potens

(b) *Procop.* edit. Grot, p. 140. Lib. I. *Herodian.* histor. lib. III, pag. m. 129.

potens illa manus, gloriæ militaris eandem laudem mereri queat, ad eorum, quorum interest arbitrium deferimus. Inter illos autem, qui in transmarinis, longo post tempore, vetustatis iudicio suffragari non addubitavere, *Heilricum Zelium*, eundemque ALBERTI Senioris Borufforum principis bibliothecarium collocamus, qui in sua *Europe principum a Gothis deducta genealogia*, Germanos atque Gothos, corporis & animi robore invicto præstantes, Romanis ab antiquo usos fuisse, iisdemque ad felicitatem, fortuna applaudente, prævillisse, imo C. JULIUM CÆSAREM, primum Romanorum Imperatorem, qui univrsam orbem terrarum suæ ditioni subegisset, omniaque fere regna ferocissima perdomuisset, Gothos, crebro licet tentaverat, subjugare non potuisse refert. (a) Cumque de TIBERIO & AUGUSTO perinde constet, quod *Hispaniarum circuitu Galliarumque, trans Cimbrorum promontorium Scytharum plagam gelu rigentem adnavigaverint*: quid quæso! ad emetiendi Imperatorii itineris illius securitatem cogitari potest verosimilius, quam quod transitus, linguæ & regionis illius, quorsum intenderunt divertere, gnaros, utpote domesticos ex *Scandia* oriundos, castris suis ponto natantibus præposuerint? (b) Biblio-

(a) *Orosii* verba & vestigia legentem cfr. lib. cit.

(b) De *cratere æneo*, modii & magnitudinis capacissimæ, in sacris publicis *hyperborei Martis* ulitato pridem, eodemque Augusto *Romana*, cum positarum sub cardine boreali, gentium ignobilitati nobilitatem conciliare intenderat, a principibus sacrificulis dono transmissa, præter alios, ex *Strabo*

bliothecæ præfecto ex Agrippina urbe oriundo, *J. Lud. Scheidum* lectum, *Hannoveræ* curam litterariæ rei eandem hodie sustinentem subijcimus, qui in illa, quam *Eccardi origg. Germ.* præmisit diascepsi sua, p. 44. licet in iis, quæ *Taciti* authentiam concernunt, ab adversario *Hafniense* suo modeste dissentiat, de *Sitonibus, Sveonibus, Gothonibus & Fennis* consentit tamen, quod *Romanis olim militaverint, una cum suis Germanis stipendia meruerint, & per instituta, ultro citroque commercia, lingvæ utrinque miscendæ, propagandæ & demum interpretandæ apprime idonei esse potuerint & auctores & actores.*

THESIS. XV.

DE *Gothis* quod aulæ *Romanæ* fidelia ministeria præstiterint, audivimus. Dicitum fuit non post
 F 2 Impe-

ne mentionem injicit nobilissimus *Dn. Dalin* Hist. Sv. parte I. p. 81. Super craterem verò (*Blot-Bolle*) viginti amphorarum capacem captivos primum, mox principes regni cives immolari jussisse *hyperboreum* numen, *sacrificulorum sui avi Pontif. Maximum, Strabo & Sturionides*, & ex iisdem *Schæfferus* in *Upsal.* antiq. perhibent. Ollaria vasa supellectilis sacre partem fuisse, *VULCANI Julinensis olla* in *Pomerania* testis est, itemque *Lipariensis Sicula*, in quam *THEODORICI O. Gothorum* regis animam fuisse detrusam, *Rome* recentioris papicolæ fabulantur. Apud præcos Romanos alterum *Martem* cruoris humani haustu *Flamines* suos imbuisse, deumque placandi rationem istam in *Saturnalibus* eorum invaluisse, palam notum. Utrum *vasis sacri* donativo, gentis ab utrinque commercium sacrorum, nostrates indigitare voluerint, eorum,

Imperii divisionem modo, sed & ante eandem, in prætoriano comitatu eorum, quorum intererat, partes cum honore præcipuas egisse; imo dispari cærimonia neque Diis utrinque litatum fuisse. A cultu vero visibilium, nec non eorum, quos in cœlum merita sua vocaverant, ad sensum & amorem invisibilium, a cognato armorum studio, ad humanitatem & civilitatem Christianam, ut cum *Johanne Magno* loquar, ultra gens alteram traduxerit, tractatu non indigna, sed paucis excutienda quæstio occurrit. Sunt, non nego, qui ex *Abdia Babylonio*, jam Apostolorum ævo, *Gothos* evangelii prædicationem in *Thracia* audivisse contendunt. Diversissimarum gentium etiam Christianarum, custodes palatinos habuisse *Romanos*, *Epaphroditi* in aula *NERONIS* satellitis, ejusdemque veræ religionis propugnatoris sub exemplo, *Berchelius* contendere velle videtur. (a) Ex *Philostorgio* & *Photio*, imperii habenas moderante *VALE-RIANO* & *GALLIENO*, Christiana mysteria gentem nostram captasse, *Sozomenus* testis est. quod si verum; item quod inter episcopos, qui *concilio Nicæno* subscripsere, *Gothicæ* ecclesiæ presbyterio unus præfuerit: cui non videbitur colligi inde certo certius posse, quod qui in condenda *nova Roma*, ceu fœderati, *CONSTANTINO MAGNO* operam præstiterunt, Christianis sacris ante initiati fuerint, adeoque ad accipiendam novam religionem, perinde atque molien-

qui ad eandem conditionem, me melius prisca redigere noverrint, esto judicium.

(a) In sua ad *Epicteti Enchiridion* iterata præfatione.

liendam Imperatori *novam sedem*, *Gothorum* operatio profecerit. Christiani nominis honore, cum etiamnum idolis suis ferviret *amula* gens, celebres fuisse *Gothos*, vulgo notum. Sed cum ex pervetustis, iisdemque non inficiandæ fidei documentis historicis pro certo constet, sec. IV. circa finem, solemnem *Gothorum* conversionem incidisse, & ab ore illorum, qui ab exteris ultro citroque deinde commeare solerent, primitias Christianæ religionis, qui domi manerent, deglutare cœpisse: quantum *Abdia* fidei suspectæ scriptori, quantum *Messenio* de *Eucherii*, ex LXX. J. CHRISTI discipulis, unius in *Germaniam* missione, ejusque *Scandianis* facta evangelii prædicatione narranti, & denique *Berchelio* cæterisque, qui *Epapbroditum Paulinum* (b) cum *NERONIS* ejusdem nominis *liberto* (c) confundunt, tribuendum sit, non procul apparet. (d) In oriente & occidente, sub ipso religionis Christianæ diluculo, liberum religionis exercitium, fidelium & infidelium communioni utrobique permissum erat. (*) *Gothis* de

F 3

Impe-

(b) *Philipp.* IV. 18. 22.

(c) *Sueton.* NERO. cap. 49.

(d) *Thomæ Ittigii* hist. eccl. primi sec. p. 372. cfr. ubi quæ in *Epiſtero* Christianam religionem redolent, ab *Epapbrodito Neroniano* hausta esse, sibi non facile persuadere posse, ait.

(*) De *Eutropio*, *ARCADII* Imperatoris à cubiculis domestico, in colliminio lucis atque tenebrarum constituto, in biblioth. latina sua, *Prospero* auctore, *Fabrscius* testatur, quod postquam diu anxius animo fuisset, paganos ritus

Imperatoribus *Romæ novæ* bene merentibus, illud quidquid erat privilegii, tanto magis concessum fuit, quanto de illis, qui Christianismo fidem jurassent, constat, quod ante modo in conservandis majorum ritibus, diris licet, pervicacissimi fuerint, neque nisi diversis temporibus publica sacra, vota sibi dedicataque, coluerint. Interim quod capita orthodoxiæ primigeniæ nostra castris devota juvenus *Romanis* primum instillaverit, quæ nonnullorum blanda hæresis est, una nobiscum certe non omnes sentiunt; (e) quamvis ad humanitatem, moresque evangelio congruos, postquam in gentis salutem evigilare cœpissent, eosdem adducere aggressos fuisse, *ALARICI & Comitum domestici* illius sub exemplo prudentiæ & clementiæ, apertissime constet. (f)

THE.

ne, quos non probaret, retineret, an verò CHRISTO nomen daturus esset? ad Christianos denique confugerit. P. & P. summè rev. M. *Canuti Lenæi* dissert. de suspecto vet. gentil. Christianismo, p. 17. confer.

(e) In religione recepta ritus innovari aliquos, nullo modo pati potuisse *Romanos*, & proinde omnes, qui *Ægyptiorum & Judæorum* non homogeneâ superstitione infecti essent, ne dissono murmure eorum, Romanæ religionis splendor incestaretur, civitate sua expulisse, a *Livio L. IV. 30.* itemque *Tacito* annal. II. 85. docemur, quo cum historiæ Romanæ duumviro utroque confer sis Act. 16. 21.

(f) De *Gorbis & Wandalis* sui ævi *Salvianus* testatur, quod impuritates, quas admitterent Romani, horruerint ipsi; imo grande & supereminens illud insuper egerint, ut qui ad sapientiam diu multumque instituti fuissent cives; religionem

THESIS XVI.

GOrhos, Heinsio interprete, cognati ferri DOMESTICOS (*) militaribus disciplinis egregie instructos fuisse, promptitudinisque illius suæ & integritatis nomine, vitæ principis servandæ custodes datos fuisse diximus. Qui honore isto digni habebantur, illos equitum modo, modo etjam peditum centurias confecisse; in palatio perinde atque in acie devotissima exhibuisse principi satellitia, & demum in provincias ituro eidem, ejusque legatis, ceu affectas & consecratos (a) datos fuisse, monuimus. An non ex alia quam septentrionis cœli plaga Romani, & una cum iis, alii principes potestatis suæ incolu-
mita-

verò, h. e. adventantis iræ divinæ formidinem à se omnem rejecissent, à barbaris sublato signo, ad virtutem non seniores esse cœperint.

(*) Paneg. G. M. dictum confer. p. 102.

(a) Ne uno in loco degeret robur militare hoc ipsum, securitas publica efflagitavit. Erant per urbes coloniasque dispersi, non solum ad expedienda negotia, quæ militari præsidio indigerent, sed imprimis continuandam militaris corporis, per imperium distributi, harmoniam quandam. Valet in aulis nonnullorum principum eadem ratio hodie quoque, ubi custodiendæ regni majestati militia mercenaria præponitur, in Ottomannica præcipuè, ubi exterorum & indigenarum h. e. bono publico invigilaturi manipuli & cohortes, disseminantur, ita ut vix detur pagus frequens aliquis, nedum oppidum & municipium, in quo non adsit Janizariorum caterva, quæ indiges opis illorum, ab improborum petulantia defendat.

mitatisque protectores assumferint, & an non institutum idem hac illac hodieum in viridi usu sit, antequam ad calcem perventum fuerit, dispicere, consultum esse duximus. Gentem nostram in *Asiam* effusam multisque inibi experimentis fidelissimam repertam, pro dominantium, in illa orbis parte, vita saluteque excubias egisse, pluribus modo evictum ituri erimus. Ut dominationis suæ magis securi essent *Romani*, præter *palatinos Gothos*, ex *Hispania* custodias adhibuisse JULIUM CÆSAREM; neque a corporis tutela, quamvis sumtuosissima, externum militem OCTAVIUM AUGUSTUM, nedum, qui eidem succedere, ceteros ante, removisse, quam profligato metu insidiarum, in tuto imperium collocassent, *Svetonius* testis est. Cur vero *Europa* populorum ad arcton & occasum ultimos hosce *Vanos* & *Vascones* (b) stabilimentum imperio præsentissimum & vinculum tenacissimum esse voluerint, illa inprimis caussa esse videtur, quod in asperis & confragolis (†)

utri-

(b) *Calaguritanorum Vasconumque*, seu *Vas-Gothorum*, a *Wan* & *Wathn* dictorum, eorundemque ex *Hispania* prætorianorum mentionem facit *Svetonius*; item *Job. Magnus Hist. Sv. L. XV. c. XVII. Vanorum Scandia* indigenarum historiam ex *Sturtonide* repete.

(†) Perstringit Geographorum sui ævi proterviam *Heinsius*, non solum quod, antiquitate invita, *Getas* & *Gothos* unius originis, opinione disjunxerint, sed & *Martem* inter *Campaniæ Rom.* recessus potius, quam è glacie, nive & rupibus exsculptum; immo inter *Formiani* littors deliciofa, quam apud *Fennos* robore inconcussos, suaque versus *Deos* homi-

utrique nati, ad usum armorum & fidem imperio præstandam, in *Latio* insimul eruditi fuerint. Cumque non bellandi usu solum, sed coalitione quasi in unum corpus peregrinorum horum, factum fuerit, ut in illorum sinu vis & species *Romane* dominationis adquiesceret, quid quæso! vero similis, quam quod ex militari convictu, & contractâ inde amicitia æterna fide, in imperii, quod post existit, societatem convalescendi occasionem utrinque captaverint? Sed fuere non unice *Romani*, quos regni prudentia movit ad circumponenda sibi externa præsidia. *Francos*, ab ultimis *Barbaria* littoribus avulsos, in *Gallia* desertis pacem *Romanam* imperii cultu, eorumque arma delectu juvisse, in *Franco-Gallia* sua *Franciscus Hottomannus* urget. Advenarum inde, qui *Gallia* regum palatiis *domesticam* sollicitudinem & primatum palatii præbuerint, crebra quoque apud sequioris ævi scriptores occurrit mentio. Regalis aulae *domestici*, cui *ATTILÆ* nomen, apud *Fortunatum* in vita *S. Germani* episcopi mentio profat. Utrum verò in *Francico novo*, quod in veteri *Romano* palatio, *domesticorum* idem negotium, eadem existimatio fuerit, non præter rem eruditi addubitant. *Judiciis provincialibus interfuisse* & ante imperii distractionem, proximo a principe loco, palatinis præfuisse comitiis constat. Verum postquam rei *Romane* arbitrium *Franci* sibi adseruis-

G

sent,

nesque honesta paupertate securos, genitum velint. *Paneg. GUSTAVI MAGNI regis nomini inscript.*

sens, utrum eadem, quæ olim, *domesticorum* auctoritas fuerit? Utrum augendæ majestatis intuitu, *illorum* regum ministerio, qui *septem Trionibus* subjacet populus se perinde devoverit, quæstio est, cujus cum nullam nobis notionem dederint, qui ævi illius acta consignavere, eandem enucleandi nobis non superest locus aliquis, neque cum re, de qua quærimus, misceri opus est. Id constat, quod qui ad exitum vergente *dynastia Merovingica*, sub nomine MAJORUM DOMUS, dominantes ministri erant, multo diversissimi fuerint ab ejusdem ætatis *domesticis*. Significat id non obscure *lex Ripuariorum*, (c) quæ in provincia constitutis iudiciis: MAJORIBUS DOMUS, *domesticis*, *Grafionibus ceterisque interdictum voluit, ne ad iudicium pervertendum, à litigantibus munera prentarent, aut acceptarent*. Sed ut eo, unde digressi sumus, revertamur, tenendum, quod seculis, quæ memoriam nostram propius attingunt, saltem ab illius imperio regis, quem TIBERIUM GALICUM vocant Politici, peditis peregrini in *Galliâ* usus invaluerit. Temporis inde tractu intercedente nonnullo, saltem ab ætate FRANCISCI I. regis, quoties domi forisque ab hostibus *Gallia* laboraret, armigeros, qui pro salute regis belli aleam subirent, *Scotiam* submisisse, fide *Francisci* regni commentariorum, *Gundlingius* refert.

(c) *Ripuariorum* appellatione *Francis* olim *Austrasia* & *Nen-*
stria regiones venerunt.

fert. (d) In *Scotorum* cum *Gallis* prædicanda amicitia, eademque antiquitus exulta, *Buchananus* in *Scoticis* multus est. Nobis ex *Gundlingio* impræsentiarum notasse sufficiet, quod usque ad sollemnem *Scotie* cum *Anglorum* regno confœderationem, palatinorum militarium in *Gallia* partes *Scoti* egerint, & postquam indiscreta invicem agere cœpisset *M. Britannia*, in superiorum monticolarum inexpugnabilem locum, qui custodiam majestatis agerent, *Schveiferos*, *Gothico* sub nomine prisco: *Huëtroppar/Hustaller* adscitos fuisse. De quibus cum aperte constet, quod in vigiliis & ærumnis perpetendis, in injuriis propulsandis, & quod plurimum valet, in fide servanda, animum & mores illius gentis, unde originem repetunt, (e) referant: inde non in unius, sed in plurium principum aulæ ministeria, securim palatinam eorum acciri solere, per se notissimo notior res est. (f)

G 2

THE.

(d) *Gundl. Stats-Histor. part. I. p. 541.*

(e) Ex *Suebia* natales suos constanter repetunt *Schveiferos*, *Scaligero*, *B. Rhenano* & *Verelio* testibus. Testimonia illorum in *notis ad THEODERICI regis vitam* a *Cochlao* exarata, exhibet *Peringkiöldius*, & qui cum illo agit *Bircherodius*, *Danus*. Ille vero egressos natali solo suo *Suecos* ibidem loci confedisse ait, quod *Alpibus* & paludibus cineta regio sit, & quod patriæ suæ formam in peregrino solo invenerint, inde adamatæ suæ *Scandia* nomine pristino, novas sedes insigniverint.

(f) Rationem eandem in evocandis aliunde prætoriam

THESIS XVII.

Pincipatus ornamento, præcipuè verò muni-
 mento illius, gladiatorum fulgorem reges & im-
 peratores circum semet exertum habere diximus.
 Debent magnitudini imperiorum respondere pala-
 tinorum decuriæ, ne in vastum & immodicum
 aucto numero illorum, ad afflictionem civium, fa-
 ctisque oculis eorum rei gerendæ nervo jejunis,
 ad tempestatem popularem res deveniat. Audivi-
 mus non ex subditis & fociis, sed sæpe diversis
 nationibus, etjam *barbaris*, prætorianas cohortes
Romam evocatas fuisse, sed quæ consilii ratio u-
 trum satis apte cocta sit censenda? Utrum non
 præcipua, faltem inter præcipuas accensenda caus-
 fas,

nis, olim & hodie sequi Christianos principes, sequi *Muba-*
medanos & olim quoque *Judeos* annalium libri passim loquun-
 tur. *Wallones* h. e. *Wandalones Batavos Romano* olim, inde
Hispaniarum palatio regum, viros & arma submisisse constat.
 In oriente & occidente, ne quæ *Roma Cesarum* olim, eadem
Mubamedanorum fors existeret, nempe, ut in potestatem mili-
 tum ipsi domini cedant: inde *Ottomannos* & *Mauritanis* ho-
 diernæ Imperatores ex partibus infidelium undecunque sele-
 ctos palatinos, *Mosarabesque* Christianos præsidio sibi cir-
 cumponere solitos fuisse, plus satis notum est. *Judeorum* re-
 ges in satellitii sui familiaritatem adscivisse *Germanos*, *Fl. Jo-*
sephus perhibet. Ceteris viam prævisse *DAVIDEM* & *SALO-*
MONEM, suæque militiæ satellitio *Gautos* quoque adscriptos
 habuisse, in libro suo *Is Atlinga* dicto, pro non improba-
 bili habet vir Cl. *Johannes Göranssonius*.

fas, quod principes imperium *is* cedere demum coacti fuerint, quibus pro se arma tradidissent, in exitu dispiciendum. Sunt, qui in delectu praesidiariorum, indigenarum magis quam exterorum, vernaculae magis, quam advolantis peregrè mercenariae militiae rationem habendam esse urgent. Illam non nisi stipendioli causa castra sequi; illam, quamvis juratam fidem dederint, ad mortem pro *principe & patria non sua* oppetendam, obligatam se non esse, existimare, imo retro sublatis rebus, ad vim principi, cui militant, inferendam, accinctam esse solere, una cum *Aristotele & Machiavello*, politicorum patres hodie multi opinantur. Non negamus, agmine rotundo allegari posse exempla regum, qui cum peregrinorum magis, quam civium satellitio uti, consilium esse duxerunt, non anhelandi versus *ipso*s sceleris solum, sed & convellendae reipublicae universae portam aperuerint. *Romanorum opes postquam semel degustassent barbari, illos rediisse saepius, & in solitudines Scythicas imperii provincias redigisse, fastorum libri multi consentiunt.* Est, non nego, quemadmodum in eligendo magistratu, qui reipublicae salutem; ita in eligendis apparitoribus, qui principis vitam quasi in manu habeant, magna circumspicione opus. Non infititiae stirpis regem, nedum ceteros potestatis regiae custodes & ministros esse voluit regum rex ipse DEUS. Parere indigenas, quam externos placidius, *Curtius* quoque iudicat; imo livorem, quem

stum & animorum quandam distractionem ab indigenis metuendam esse, ubi quam domi natis, advenis plus credi viderint, quis ambigit? Sed cum sit illud palmarium illorum, qui cum imperio sunt, officium, rempublicam suam novisse, inque illorum, quamvis optimorum, potestate situm non sit, bonam gratiam apud omnes promiscue inire, cum quod gratum uni, idem alteri adversum, quod uni æquum, id alteri iniquum obvenire soleat; sicut ex militibus idoneum numerum in custodiam principatus adoptare possunt, si virtus sua incusari, adeoque odio haberi incipiat: ita indigenis misceri peregrinos, inclinationes temporum cum ludibrio conjunctas, subinde requirere solere, exempla in promptu multa sunt, quæ probant. Cum JULIUS CÆSAR, retento dominatu, sed dimisso *Hispanorum* præsidio, curiam intraret, viam ad perniciem aperuisse suam, & solœcismum in novo imperio pingvem commisisse, tabulis ejus ævi politicis animadversum legimus. *Anti-Cesarum* seculo, cum occidendorum imperatorum occasionem quærerent *Italicæ* cohortes, in instituto suo a *Germanis* impeditos, & principes turbam illam tempestatemque evasisse diu, *Julius Capitolinus* memoriæ prodidit. Ævo, quo nunc vivitur, ad *Scotos* & *Helvetios*, & non multo ante *Corficorum* præsidia, *Galliæ Poloniæque* reges; imo *pontificem Romanum*, de *Angelici castri* custodia nescio quid sinistri suspicantem, sine suspitione *tyrannidis* decurrere solere, inter omnes apertissime patet. In

In nostra gente, cum REGEM inter atque GRE-
GEM conciliande gratie & promerendi amoris stu-
dium tantum & tam magnum effulgeat, ut sine
comitantium pompa custodiarum alienigenarum,
& si visum fuerit, indigenarum etjam, in cujus-
que civis sui sinu PRINCEPS requiescere securo
possit: ut qui hodie imperat REX augustissimus
in illa, quæ terra marique coorta est, tempesta-
te nupera regnorum *Europaorum*, NOMINIS sui fa-
tum impleat, olea virente portas regni sui emu-
niat, & denique compagem elaborati operis illius
in longam posteritatem transmittat, DEUM
OPT. MAX. precamur !!!



Emendanda.

- Pag. 5. lin. 20. proœmiali, lege: proœmiali.
p. 16. lin. 15. demoninandi, l. denominandi.
p. 31. lin. 4. sicuti, l. secuti.
p. 34. lin. 9. repngnantia, l. repugnantia.
p. 44. lin. 28. co ditionem, l. conditionem.
p. 48. lin. 29. in notis pro littors, l. littoris cum *sim-
plici* an verò *gemino* e in medio.

AUCTORI

Differtationis hujus Præstantissimo, Amico & Con-
sanguineo carissimo,

Historiam ab excellentissimo quondam Philosopho ac Oratore, "tem-
porum testem, veritatis lucem & magistram vitæ," non sine caus-
sa salutari, dudum agnovere, quotquot vel tantum uti attentione,
in re adeo clara voluerint. Quemadmodum enim ad præsentia probe
attendere, futuraque, quantum communis mortalium conditio permittit,
prospicere, opus habemus; ita ad præterita etiam aliquando animum revocare,
quæque ante quam nos nati sumus, acciderunt, revolvere, non minoris certe
judicandum est necessitatis. Ceterum ad tempora longo seculorum tractu re-
mota regredi, & in iis illustrandis, partes suas rite perigere, id vero arduum
magis negotium est, quam ut quilibet isti par sit censendus. Quanta enim
memoriæ, ingenii & iudicii vis ad hoc requiratur, quamque varia & multi-
plex lectio, vel primo intuitu perspicitur. Hinc eos, qui nobili huic studio
excolendo suas consecrarunt vires, non in mustaceo laureolam querere, nemo
unquam sanus dubitavit. Tu Consanguinee suavissime, immaturâ adhuc æta-
te, quantum in litteris, historia imprimis antiqua fecisti progressus, præsens hoc
nitidum & eleganter conscriptum specimen aperte loquitur. Laudibus Tuis,
quas probi omnes prædicant, aliquid a me quidem præconium addi, superva-
cuum omnino videtur, præsertim cum hoc ab alio potius, quam cognato &
amico expectare poteris. Id saltim dixisse sufficit, ab eo usque tempore,
quo Tuo uti mihi licuit consortio, Te in studiis, quæ communia exercuimus,
indefessum æmulum; de cætero autem illum fuisse, quem alterum quasi me, h. e.
familiarem unicum fere, fidissimumque sum expertus. Quam ob rem præsen-
tem lætus arripui occasionem, quanto Te vicissim affectu prosequar, publice
etiam hodie testatum faciendi. Verum desunt verba, deest facundia. Nihil
prorsus præter simplicem quidem hanc, quæ tamen ex sincero pectore profi-
ciscitur, acclamationem proferre valeo. Perge Consobriño, & quod magis
adhuc est, Amice; perge inquam qua via cœpisti; quæ semet offerunt difficul-
tates, perge vincere; adde merita meritis; sic tandem amplissimis virtutis
præmiis Te dignum, boni omnes, imprimis vero cognati & amici latabu-
tur.

Currenti calame
apposuit,

PETRUS JUSLEEN, Petri fil,

Aboa-Fenao.